



Gl. 47.
2



GERARDI JOANNIS VOSSIF
DE
COGNITIO-
NE SUI
LIBELLUS.

*Cum ejusdem Auctoris ad aliquot loca
illustriora necessariis notis.*

Accedunt & alia opuscula.

Heu quām difficile est se noscere ! *γνῶθι
σεαυτόν*

Quām properiè legimus , tam citò ne-
gligimus.

EDITIO ALTERA.

... (o) ...



ARGENTORATI,

Apud JOH. REINH. DULSSECKERUM,
Anno 1709.

INDEX

Eorum, qua hoc libello continentur.

GERARDI JOANNIS VOSSII

De Cognitione Sui
Libellus.

Dissertatio generalis bipartita.

I. *Quibus disciplinis perfecta constet eruditio.*

II. *Quomodo tam varia disciplina optimè adiscantur.*

Dissertatio particularis.

De Ratione, & ordine, universam legendi
historiam.

De studiis instituendis.

De Ratione, qua præiri ad Eloquentiam,
aliamque studia debeat juventuti.

Francisci Junii FF. Parænesis missa Albe-
rico de Vere, Comiti Oxoniensi.

AD

AD

Consalissimum Virum,

PETRUM CLOECKIUM,

J. U. D.

Senatorem Amstelodamensem.

Geminum libellum tibi offero,
Clæcki, virorum amplissime,
mole exiguum, sed usū rerum
magnum: docet ille examen sui, rem, ita
me Deus amet, per quam necessariam o-
mnibus iis, qui probitatem cum pruden-
tia conjunctam amant, quæ Sapientia
appellatur: Hic monstrat viam ad
consummatæ eruditionis arcem, quæ
sapientiam non ornat modo, sed, quod
multo maximum est, vel sola perficit:
non enim satis plene contingit illa, nisi
animo bene instituto & edocto. Utius-
que scripti non modo laudem suo sibi
merito vindicat Vir vastæ eruditio-
nis Gerardus Johannes Vossius; sed

A 2 etiam

DEDICATIO.

etiam usum omnium earum rerum, que
hoc scripto continentur: uti enim scri-
psisse eum hic apparet, sic à puero
constantissime vitam semper instituis-
se suam constat; dum, quod vere
Philosophorum proprium est, exem-
plu suo fieri posse ostendit, quæ verbis
facienda alios docet: quam vero eru-
ditionem illis moribus dignam sit con-
secutus, Viri scripta, quæ extant,
satis testantur; quæ præsens stupet
etas, & postera mirabitur: quorum
clarissima luce Europam hanc nostram
illuminat universam eruditorum ille
Phæbus: quibus omnem prisæ ævi glo-
riam, æquasse eum si dixeris, libera
magis voxerit, quam superba: unde
elogium hoc, grande quidem, sed tan-
tis jure virtutibus debitum meruisse
potest videri, Vixisse nuper in Batav-
is Virum, quem qui norunt, non
potuerunt satis æstimare; qui non
æsti-

DEDICATIO.

æstimarunt , nunquam satis co-
gnoverunt. Sed immensas Viri
laudes hic ne libare quidem sustineo ,
alibi pleno ore dicendas. Nunc venio
ad causam eam , quæ , ut illustre nomen
tuum hisce libellis præscriberem , me
potissimum impulit. Cordatissimi a-
nimi fæmina Elisabetha Vossia , di-
gna tanto marito quondam conjux , po-
testatem mihi fecerat edendi hæc opus-
cula , ut vellem ; sed te potissimum de-
ligendum ipsa censuit , cui inscribi ea
vellet : & cui sane inscribi justius ?
Enimvero es tu ille , qui patria in urbe
dignitate eximia , præstanti ingenio ,
eruditione emines singulari , qui in flo-
rentissima hac Republica , quæ omnem
virtutem prope sola ex merito solet æ-
stimare , eo semper animo fuisti , ut ,
si quod excellens ingenium , patriæ bono
natum , scires , quod latere forte uspi-
am posset , summa ope annitendum

A 3 tibi

DEDICATIO.

tibi semper putares, illud ut in publicā
protraheretur lucem; ne fieret illud, quod
est indignissimum, ut præclara ingenia
nullam mercedem, nisi ex conscientiis
habeant: præcipue vero, divinas hujus,
dum viveret, Viri animi pectoris que
dotes, quas amare satis non posses, tacita
quadam veneratione semper es admi-
ratus; unde nunc quoque mortui memo-
riam, quod magnum firma amicitiae
argumentum est, amare, fovere, colere
non desinis. Deum immortalem sup-
plex quoq[ue] venerorque, Summe viro-
rum, ut animum tibi istum, qua prodes-
se omnibus gaudes, proprium ac perpe-
tuum faxit, quo & tuis honori, & ami-
cis utilitati, & Patriæ quam diutissimè
possis esse emolumento. Illud utique ex
animo opto atque voveo.

Amplissimo Nomi[ni] tuo
devotissimus.

HADRIANUS JUNIUS.

DE

COGNITIONE S U I.

Cum multa circumferantur vis-
tæ regendæ idonea: unum
tamen in his familiam dicit:
ut quod prudentiæ totius non
principium modò sit, sed etiam finis, eo-
que cætera complecti videatur. Neque
hoc ejusmodi est, ut difficile sit illud me-
moriâ complecti: sed duabus contine-
tur vocibus: Γνῶθι σεαυτόν, Τομετ νοσκε; sive
illud dimanavit à sacerdotibus ora-
culi Delphici, eoque Apollini tribuere-
tur: sive auctorem habuerit Pythagoram,
Biantem, aut Thaletam: quam senten-
tiarum diversitatem nobis memorat Por-
phyrius. Hujus præcepti utilitas præci-
puè elucet è duplice hominum genere:
quorum aliqui bona sua nesciunt; aliqui,
& hi multis partibus plures, defectus
suos ignorant. Piores illi, dum diffiden-
tiâ suâ ea aggredi non audent, quibus

A 4 susti-

sustinendis sunt pares : non sibi modo,
ac familiæ atque amicis, minus sunt uti-
les, sed universæ Reip. ac posteris etiam
nocent. In his Charmidem illum repo-
nere liceat, cui apud Platonem suadet
Socrates, ut Remp. capeat : quippe qui
& facundiâ, & consilio, tum præsidio,
tum ornamento , esse civibus suis pos-
set. In hujusmodi habet locum, quod
à Plinio proditum in epistolis : *Bona,*
inquit, *ingenia debilitat verecundia.* Ac
continuo subjungit : *Prava (ingenia)*
confirmat audacia. Sanè non leve est dif-
fidentiæ vitium, quod proficiuntur ex
ignoratione sui. Sed magis tamen pec-
cari solet immodestia : quia plerique
omnes similiores sumus Glauconi , ho-
muni adolescentulo, &c, ut ea solet ætas,
eminere in Republ. percupido, eoque se
concioni Atheniensium jam paranti. Sed
quomodo cum eo idem Socrates sit locu-
tus, atque effecerit, ut deinceps mode-
stius de se sentiret ; utilius jucundiusque
ex mellitissimo Xenophontis fonte hau-
rietur, quam si jejunè arideque eadem
huc

huc derivem. Modestia igitur medium se infert binas inter Symplegadas, humilitatem, ut Latini veteres dixerent, hoc est animum pusillum, quando quis ea non audet aggredi, quibus divinâ ope sufficeret, & arrogantiam, quâ ut lepidè dicebat Varro, saperdæ nobis videamus, cum simus σωποί.^a Ut verò teneamus modum illum, à quo modestia nomen accepit, opus est assiduo nostri b examine: Hoc enim nos deducit ad notitiam nostri: notitia ista perducet ad sincerum tum Dei cultum, tum proximi amorem: Quorum utroque nihil pulcrius aut majus in hac vitâ: sed nihil quoq; difficilius præsertim in hac men-

A 5 tium

a. putres. b. Hoc examine uti solebat Justus Völodus, Hebraicarum literarum apud Marpurgenses Professor, qui obiit anno Christi 1701 LXXV. quemadmodum constat ex hoc ejus epigrammate:
Quid sum? quis? qualis? quantus? quotus? unde?
quibusve

Ortus avis? quorsum tendo? quibusve viis?

Vermis: homo malus exiguis: postremus: ab imo:

Talibus & cretus: nitor ad astra: fide.

Guiljelmum etiam Canterum Ultrajectinum scimus nunquam se prius cubitum recepisse, nisi ante preces ad Deum, quid singulis à se horis actum foret, cum animo expendisset.

tium caligine, & nimio nostri amore: Si quidem illa vix effugit errandi necessitatem: hæc etiam parit errorum amorem.

In hoc nostri examine ad duo attendere oportet: quæ à Deo accepimus, & quæ ipsis fecimus.

Priora sunt duum generum: partim enim ad ^{soiār}^a pertinent, partim ad affectiones. Illa ostendunt, qui simus; hæc, quales simus.

Si quæratur, qui simus, quisque se *Hominem* dicet. Quod vocabulum ne dunt taxat primis innatet labris, considerandum est, quantum dicat qui se hominem dicit. Philosophorum igitur more, circumferendus est animus per quatuor causarum genera; duas internas, materiam, ac formam; duas item externas, efficientem ac finem.

In materiâ duo consideramus. Prius est quod conditi sumus ex pulvere & luto: atq; erit, cum in pulverem itidem résolvamur, ac vermisbus esca siamur. Et for-

a. Substantiam sive essentiam.

De Cognitione Sui.

§

tasse id celerius futurum opinione nostra.
Quare semper cogitemus, unde venerimus,
& quid futuri simus.

Alterum est, quod Moses materiam
nostru*m* enarrans, *κατ' αὐθεωποτάθειαν* a
manuum Dei meminerit, quibus corpus
fabricarit. Hæc est illa manus divina,
quæ astabre adeò hoc corpus fecit, ut
omnem hominis admirationem exsupe-
ret: quod præcipue patebit membrorum
singulorum formam & usum attendenti.
Hanc pulcherrimam compagem non
pauci ex Naturæ mystis, quos Anatomi-
cos dicimus, egregie descriperunt: & o-
peræ est eos consulere, partim ut sic me-
lius reuceat sapientia Dei; partim etiam
amor nostri: qui accendere nos debet, ad
Deum redandum.

Formam hominis *εστιδην* b docet nos
Moses, quando Deum ait corporis fabri-
cæ inspirando animam indidisse. Animâ
hac proximè quidē ab angelis abimus, ac

A 6 pro-

a. per figuram, quā Deus se nobis accommodat,
loquendo nobiscum more humano.
b. Essentiali.

propius accederemus, si excoletemus eam, uti convenit: interea tamen longè mutis antistamus animantibus: magis etiam rebus inanimis. Cogita proinde, utrum, ut propius ad angelos accedas, animum quatuor istis eruditione, sapientiâ, prudentiâ ac pietate, magis, ac magis, augeas: an contrà feræ similis, obsequaris iræ; aut pecudis instar, gulæ studeas, ac ventri: quomodo rationem amittis, atque infra bestias deprimeris: cum hæ non possint reprehendi, ut quæ non acceperint rationem: tu, mi homo, jure culperis, quia, cum mentem habeas, nihilominus ratione affectui, affectu fortasse servias abdomini. Quid muta referto animantia? Animum si negligis, lapidis instar obdurescis. Et quam parum abest, ne ipse lapis fias, si assiduus est animus in acquirendis lapillis, ut vocant, pretiosis: nec melior sis, si capiaris splendido illo luto, quod aurum & argentum nuncupant! Hæc ne sit dignum curare animum habenti? cuius ratione nos exemplum Dei Manilius appell-

appellat ; Scriptura verò nos ad imaginem Dei conditos docet : sic tamen ut in partem hujus imaginis etiam veniat dominium nobis concessum in cæteras creaturas. Quàm turpe igitur servire te illis, quæ Deus condidit, ut tibi inservirent. Verissime hæc dici, testis cuique sua est conscientia : quæ pro dote cuique est animæ attributa : uti & naturâ illi addita sunt virtutum semina , quô laudes suas, ac culpas, quivis intelligat. Unde, ut Tullius ait , in pueris ipsis virtutum scintillulas intelligimus: atq; etiam vulgus imperitum virtutes novit, licet involutas. Quid mirum si non ultrà sapiat? Soli enim sapientes, ut Epicterus ait, singula actibus suis attemperant. Horum in sapientum numero ut ipse etiam sis , elabora. Hoc fuerit , si assiduè cogites , quàm turpe sit animum habenti velle voluptatem omnem capere è corpore : ad imaginem Dei factum, non ad Dei exemplum, sed mutorum animantium , componere vitam suam.

Effi-

Efficientem nunc causam cogitemus: quæ est Deus. Hic mihi homo, creatore tuus: tu creatura, èò obstrictior, quò te nobiliorem cæteris fecit creaturis. Hoc vel solum commonet, ut Domino omnium rependas obsequium. Quanto magis, quod non solum te talem & anima & corpore fecerit: sed nec dum operis sui depositum curam. Nam idem adhuc te conservat, ut nec millesimâ ex parte sis exsolvendo.

Atque hoc magis liquebit finali etiam hominis causam, sive quò tendere oporteat, attendenti. Nam cur Deus te condidit? Nonne ut eum in terris agnoscas, ames, colas: posteaque in cœlis perpetuo, & ineffabili gaudio fruaris? Quid postulato illo Dei æquius? Quid præmio hoc, quod promittit, excellens? Si tam sinistra mens, ut non hæc cogites assidue, quas non poenas ingrato illo animo mereris? Singulorum enim merita Deus dispensat, non actorum modò sed etiam cogitatorum iudex. Cur igitur, propter momentaneam

VO-

voluptatem, malis servire Satanæ, creatoris tui hosti? Cui qui militant, easdem ac ille, æterni ignis poenas sortientur. Imò hīc etiam nonnisi voluptatis umbram assequuntur. Nam, qui Deo se tradiderunt, unico die plus solidæ voluptatis ex conscientiæ tranquillitate, ac melioris vitæ fiduciâ percipiunt, quam impii per omnem vitam, utcunque ea se latissimè extendat.

Vidimus qui simus. Nunc agendum de altero; qualis quisque sit. Ubi in considerationem veniunt affectiones hominii: nempe bona malave ejus tum externa, tum corporis, tum animi. Externa sunt stemma, potentia, opes, felicitas, & quæ his opponuntur. Circa quæ omnia multis modis aberrari solet. Eoque examine cuique est opus eā in parte, quā vel alios vincit vel ab iis vincitur.

Stemma jactas, & prosapiam? At communis est omnibus origo ab Adamo, propior etiam à Noachō: ad quam si adscendere genealogia tua posset, me tuo

tuo ne invenires multos ut divites, ita pauperes; reges fortasse, sed & servos. Nec enim displaceat illud, quod Plato scribit in Thæteteto, & inde exscribit Seneca Epist. X L I V. *Neminem regem non ex servis esse oriundum: neminem non seruum ex regibus.* Esto autem, ut quicquid de seculis sit priscis, proximis saltem sis illustris: sic quoque aliena magis laudas, quam tua: & clarior sis avorum & proavorum luce, quam propriâ. Fortasse etiam neque tantæ fuere virtutes majorum, quam vulgo traditur. Nec enim raro id contingit, ut sicuti majores, magna, dum viverent, invidia sequeatur: sic, postquam mortui, cessante invidiâ, in contrarium peccet posteritas, ac defunctum non in suâ modo familiâ, sed apud alios etiam nimia sequatur admiratio. Hoc si persuaderi nequit, sunto sanè tantæ majorum laudes. Exemplum igitur domesticum habes: quam gloriam multi magno sibi mercarentur. Sed nisi sequareris, carere eo melius erat. Est enim generis claritas instar

star Solis. Bona, malaq; omnia illustrat ut nobilium, sicut virtutes, ita etiam vicia, longius latiusque diffundantur. Noli igitur viciis indulgere, ne ut Majotes suarum ad te virtutum laudes gloriose propagarunt; sic contrà nominis tui decus transmittas ad liberos, & qui inde nascentur: ac quantopere tu gaedes majoribus, tantopere tui pudeat minores.

Si ad potentiam te, vel aula extulit, vel populus: vide an non favor ille, quo hoc obtigit, aliunde profectus sit, quam à meritis tuis. Cogita præterea, an dignum te imperio præstes. Quod non erit, si commodo tuo publica metiaris. Pelopidam enim æmulari oportet, qui cum utor, abeunti ad bellum, commendaret salutis suæ curam: *Hoc*, inquiebat, privato dixeris: *duci autem civium commendanda est civium salus.* Dispice etiam, an cum te sicutiment, vel colunt, tot clientes, tot supplices, eo sis animo tumidiore. Fortasse enim timent, ut timemus venena: colunt fortasse, ut se-
brim

brim coluere Romani, ne noceret: vel
saltem, ut se asinum suum hactenus cole-
re ajebat Epictetus, & quod ei levaret pe-
des: nempe quia sibi usum inde aliquem
speraret. Et quid si neque tanta sit po-
tentia tua, quam putas? Multi enim prin-
cipes, ut est apud Senecam in vi. de Benef.
cap. xxx. *Ignoravere vires suas, & dum se*
tam magnos, quam audiunt, credunt, attrac-
xere supervacua, & in rerum omnium di-
scrimen per ventura bella. Pleraque in hanc
mentem ibidem subjungit.

Si nullam ad potentiam aut dignita-
tem es electus, vide an non male te id ha-
beat. Id si est, stultissimum te puta, quod
desideres. Hoc non obscurum erit, si
attendas, quam difficulter ad dignita-
tem magnam pertingere sit, & quanta
cum difficultate sustineatur. De priori
sic Cyprianus Epist. ii. b illum vi-
des, qui amicu clariore conspicuus, fulgere
sibi videtur in purpurâ? Quibus hoc sor-
dibus

a. Lib. i. Dissert. cap. 9.

b. Nempe editionis Pamelianæ: sed priorum lib. 2.
Epist. 2.

dibus emit, ut fulgeat? quos arrogantium fastus prius pertulit? quas superbas fores matutinus salutator obsedit? quot tumentium contumeliosa vestigia, in clientium curieis, antè præcessit, ut ipsum etiam salutatum comes postmodum pompa præcederet, obnoxia non homini, sed potestati? Ubi verò comparata dignitas, tum, ut ibidem ait Cyprianus, domus plague conscientiam feriunt, tunc rei familiaris exhausta damnæ cognoscuntur, quibus redemptus favor vulgi, & caducis, atque inanibus votis popularis aura quaesita est. Horum ut nihil contingat, quid sunt magnæ dignitates, nisi aureæ compedes? Quanto vita privata curis est solutior! quanto ipse placidor somnus! Consulē, quæ de amicis Cæsarī ad convivium vocatis pulchrè discrit Epictetus lib. III. diss. xxvi. Feli- cies quidem sibi videntur, qui sic Cæsari, vel Regi serviunt: quia ut ipsi superiori, sic illis serviunt inferiores. Quasi feliciores eò sint, quia & alios redigant in servitutem.

Dives si fueris, dispice, an non opulen-

lentia tua sit ex alienâ paupertate, ac vel ipse opes eas injustè pepereris, vel sis injusti hæres. Sed antiquæ sint, ac honestè, partæ : non tanti est opes habere, quam bene iis uti : unde etiam Græci *χρήματα* *ἀπὸ τοῦ χεῖσθαι* nominarunt. Expende igitur, num tibi sint pro instrumentis ad animum exornandum, vel publicè, aut privatim beneficiendum aliis, præcipue agentibus. An contra tibi sint instrumenta Veneris, Bacchi, & omnigeni luxus: quo pacto perdant, & valetudinem, & nominis decus, & animi vigorem: imò animum in æternum præcipitent exitium. Ut sic infinitis partibus satius fuerit, eás nunquam habuisse.

Esto etiam ut divitiis honestè partis honestè utaris : superest exquiras sedulò, an non fiduciam temere ponas in rebus b fluxis ac caducis: qualis esse

divi-

a. chremata, (quasi usui inservientia) à verbo quod uti significat. b. Opum & honorum gratiâ, ubi honestis artibus pepereris, sâpe haut diu frui datur. Sunt quos in medio vitæ cursu fatum vocet, alias vis hostilis de statu inopinatos deturbat. Mille denique modis exuimus fluxis & fragilibus istis. Quæ cum diuturna etiam obtingunt; brevia tamen videntur ubi ad fabulæ finem ventum est.

divitias, multis quotidie docemur exemplis. Item an non propter eas præ te asperneris homines pauperes, vel saltem opibus multò inferiores, utcunque doctrinâ, virtute, vel pietate antistent. Quo quid facere possis injustius, stultiusque? Nam qui animam a Deo acceperunt, censendi sunt mentis bonis, non externis illis: quomodo militem non æstimamus ex aurato baltheo, aut clypeo argenteo, sed robore, animi magnitudine, peritiâ rei bellicæ. Sanè nec equum emituri tam attendimus frenum, ephippium, phaleras: quam ad ejus robur, & agilitatem. Nēqne de navi statuimus ex tutelâ eburneâ, vel rostris inauratis: sed firmâ compage, velocitate, gubernaculo ventis obedientiæ.

Pauper es? Non levia sunt commoda paupertatis. Quam multi ob divitias prolabuntur in luxuriem, quam se suaq; perdant! Quam multi etiam ob illas fastu turgent: imò & ostentatione earum alienis præbuere insidiis occasionem. Noli igitur desiderare, quibus non indiges.

Stu-

Stude animi bonis ; quæ divitiis non
opponi modò possint, sed longissimè eas
vincunt. Atque ut ille ^a ait :

Quod sis, esse velis, nihilque malis.

Non igitur de pauperie te ^b discrucia:
sed potius cura, ne stultè adeò sapias, ut
pauperies tibi extundat, quicquid gene-
rosæ erat indolis ; sic ut curis involvaris
humilibus teq; indignis, turpibus etiam
obsequiis, & adulationali te des ; vel frau-
dibus rem pares.

At fortasse nec divitiis tibi places :
nec de paupertate doles : ut qui in re
mediocri sis constitutus. Gaude. Hæc
quippe vitæ conditio nutrix est animi
moderati, ut vult Plato. Notæ etiam
preces Agur à Salomone adoptatæ, vel
ab Ezrâ additæ Proverbiis Salomonis.
Quàm multi interea sunt, quibus ani-
mus propterea moderatus non est? Qua-
re tecum seriò considera, an non, quæ
fortuna est mediocris, hæc, dum te cum
inferioribus comparas, magna tibi videa-
tur ;

a. Marcialis. b. Epicurus ipse olim, *Felix pauper-*
itas : est apud Senecam Epist. II. c. cap. 30.

tur; eoq; te more divitum efferas, & con-
sumeliosè geras: vel dum te confers cum
inferioribus, eò à te parva habeatur, &
idcirco more pauperum dejicias animum,
ac foede aliis parasiteris.

Vidimus de examine sui circa opes,
vel magnas, vel modicas, vel nullas. Nunc
etiam cogitemus, quomodo feramus eo-
rum quæ suscipimus, successus seu ^a fe-
lices, seu infelices.

An fortunatus es? sic ut in connubio,
aut liberis, aut conatibus, ac consiliis tu-
is, voto ferè responderit eventus? Etiam
atque etiam vide, an non ista tuæ magis
prudentiæ tribuas, quam providentiæ
divinæ. An etiam Deo pro his beneficiis
præbeas te gratum, quantum debes. Ad-
hæc an non hæc felicitas fastu ac vento
im-

a. Pausanias in Arcadicis, quod de Agleo Psophi-
dio, aut Cræso, Lydiæ rege dicitur, eos omni vita
felicissimos fuisse, id negat se in animum posse in-
ducere. Nam ut navem non sit invenire, quæ sem-
per secundis sit usq; ventis, ita neque repertum iri ho-
minem, qui omni vitâ à calamitatibus fuerit immu-
nis: Eoque Homerum, ab Delphico Apolline edo-
ctum, duo apud Jovem dolia statuisse; Bonorum u-
num, alterum malorum: quia ad utramque somen-
nati sumus.

implete animum, mentemque reddat de-
mentem. Item an non dulci fortunâ e-
brius, sic niti cœperis fortunâ, ut minus
jam diligentiae adhibeas in deliberando:
quæ res & causa, & prænuncia esse ruinæ
solet. Hoc est, quod apud Agellum
ait Cato: Secundæ res lœtitiâ transvorsum
trudere solent à rectè consulendo, atque intel-
ligendo. Et Publius Syrus:

*Fortuna nimium quos foget, stultos fa-
cir.*

Infortunatus tibi contra videris, sive
ob ingens aliquod malum, sive ob mino-
ra, sed densa? De posteriori occurrit
hoc Symmachi libr. I. epist. XLVIII.
Sic nati sumus, ut sæpius adversâ funga-
mur. Fugiunt voluptates, & bona cuius-
que rei tam brevis usus, quam levis sensus
est. Ad prius pertinet hoc Plinii lib. VII.
cap. XLII. *Qua magna gaudia, nisi ex*
insignibus malis? aut qua mala immensa,
nisi ex ingentibus gaudiis? Sic Deo visum,
ut voluptati mœror sit comes. Vide
igitur

a Lib. 7. cap. 3.

Igitur, an a patienter feras, quæ Deus permittit, vel immittit. Quod eò magis agendum, quia utrumq; facit bono tuo. Omnis enim fortuna secunda fallacissimum est divini favoris argumentum : Solet quippe Deus, quos amat præ cæteris, etiā præ aliis affligere. Quod partim facit, ut castigatione istac, optimi parentis instar, corrigat suos, qui sic discunt, vitia sua magis odisse, & modestius de se sentire: partim quoque, ut, dum eos assiduè exercet, indies illi proficiant in palæstrâ patientiæ: ad quam Christus nobis exemplo suo tantopere præivit : Sic igitur te compone, ut dicere possis, quod olim Tertullianus^b : Totum licet seculum pereat, dum patientiam lucifaciam.

A fortuitis nunc venio ad corporis affectiones. Quarum una, ejus est

B im-

^a Petrus Blesensis Epistola 31. Omni cordis & corporis afflictio citra meritum & fructuum salutis est sine patientia condimento. Ipse virtutes, nisi patientia habeant fundatum, nomen virtutis & officium perdiderunt. Nam vidua est virtus quam non patientia firmat.

^b Lib. de Patient. cap. 7.

imbecillitas. Nam, ut Seneca ^a ait, Quid est homo? Quodlibet quassum vas, & quodlibet fragile. Quid homo? ut Epictetus dicit, lucerna vento exposita. Ut Plinius, ^b recte de humano ait corpore: cum bene lacertos exercuit, cujuslibet fere pabulum, cujuslibet victimam, ex infirmis, fluidisque, contexrum & lineamentis exterioribus nitidum; frigoris, astus, laboris, impatiens; ipso rursum situ, & otio iturum in tabem. Scire etiam à veteribus ^c dictum fuit, ut ferrum exercendo atteritur, inexercitum rubigine consumitur: ita hominem laboribus exhaustiri, & inertis torpedine magis dissolvi. Vide igitur, an cum tale sit corpus nostrum, non ea res ad modestiam nos magnopere debeat incitare: aut an æquum sit, sic nos ei studere, ut animum negligamus, qui æternus.

Sunt interea & sua corpori bona: sanitas, robur, agilitas, forma: quorum singulis, præcipue tribus posterioribus,

ex-

^{a.} Ad Marciam cap. II. ^{b.} Procemio lib. 7.

^{c.} Vide Catonianam præclaræ varitatis. hac de re sententiam apud A. Gellium, lib. II. cap. 2.

* extollere se homines solent. Notum illud poëtæ: *Sequiturque superbia formam.* At nihil non horum eripi potest. Adhæc robore & agilitate tot te muta vincunt animantia. Quantacunque sit pulchritudo, à statuis multis vinceris. Et durabilior longe est statuis sua forma. Quin igitur potius secteris animi pulchritudinem, quam cum bono Deo, dare tibi potes; eripere alius nequit. Et quam turpe est, eum, qui animum habet, captare laudem è corpore! virum imprimis: in sequiori enim sexu, qui mollior est ac delicior, non laudamus quidem, sed ferimus utcunque, si formâ sibi placeat.

Hinc jam ad animi bona adsurgamus: quorum aliqua sunt naturalia, alia studio ac labore parta. Naturâ suâ habet animam cernendi præsentia, recordandi præterita, prospiciendi futura: habet eadem velocitatem cogitandi, & subtilitatem penetrandi: habet solertiam inventi, & judicium discernendi. Quæ

B 2. omnia

a: Petrus Blesensis Serm. i. in Adventum Domini.
Antiquus ille cerasus duobus maximè cornibus impingnat
statione animi, & immunditia carni.

omnia testantur , animam nostram cœlo
genus ducere. Momento illa mundum
omnem pervagatur : magno argumen-
to, non te eam glebæ huic, vel illi debere
affigere , cum totius mundi incola sis.
Quid igitur peregrinationes , vel exilia
molestè feras ? Imò, si finas , momento
illa provolabit in cœlos, unde genus du-
cit. Vide igitur, an non eam, quæ origi-
nis est cœlestis, indignè rebus obruas ter-
renis.

Quod si ingenio, vel memoriâ excel-
las , in te descende , ac dispice, an non
eo tibi magnopere placeas , sic ut forde-
ant alii, quibus ingenium obtigit tardius,
aut memoria minus tenax. At qui magna
quidem memoriae laus, major etiam in-
genii; at longè maxima judicii. Quod si
igitur, qui ingenio nolis cedere , judicio
ab aliis vincaris? Et quorsum tibi præcla-
ra memoria , si non optima quæque huic
rerum omnium thesauro assidue com-
mittas? Cui usui ingenium acre, si abu-
taris, eorum instar, quibus, ut Petronius
loquitur, ingeniosa gula est ; aut Curionis
illius,

illius, qui Vellejo dicitur ingeniosè ne-
quam?

Hinc jam à naturalibus animi bonis
conferam me ad illa, quæ studio paran-
tur. Cujusmodi imprimis sunt hæc tria;
primum doctrina, præcipuè varia, aut
recondita; hinc prudentia cum virtute;
denique pietas cum modestiâ. Ac pri-
mum qnidem videamus, quo pacto se-
ipsosexpendere debeant, qui eo sibi pla-
ceant quod animum excoluerint doctri-
narum studiis. Atque in his etiam esse
videas adolescentulos, qui adhuc, quod
dicitur, inter apia versentur, ac vix è
luto posuerint pedem. Quales stultâ per-
suasione viam sibi in posterum ad veram
eruditionem præcludunt. Usque adeò
verum est, quod sapiens ille ajebat,
λόμοις ἐγκρωτὸν τῆς προκοπῆς. Sed de istis po-
tiis videamus: quos pestilens illud fidus
non affavit: si modò aliquos est invenire,
quos non quodammodo teneat sacer ille
morbus, opinio: Nam & illi, qui non
suo solum judicio, sed etiam alieno,
alicujus pretii, videntur, sæpè propterea

B 3 tan-

tanquam ab alno, despiciunt illos, quibus non eadem obtigit felicitas: Evidem te compello, quisquis in choro eruditio locum tibi vindicas, serioque rogatum velim, iisne te studiis dederis, quæ sapientiam docent: an istis; quæ ad hanc tantummodo viam parant. Multos enim in literis humanioribus aliquanto longius progressos, videoas præ se aspernari severioribus studiis imbutos: credo quia vident his sermonem fere esse impolitorem, nec scire illas studiorum amoenitates: quasi non pluris sint studiorum fruges, quam flores. Contrà alios cernas ridere illas amoenitates, ac sese magnopere jactare, quod in masculo facultatis alicujus studio ætatem triverint. Quasi non & horum claudicet doctrina, ob ignorantem eorum, quibus ad mājora præparari animus debuerat. Vide nunc, utrum in priori, an alterā sis caterva. Evidem posteriorem anteferam: atamen non dubitandum, quin disciplinæ mutuo stent auxilio, eoque studia manca sint ac mutila, nisi perficiatur disciplinæ

rum

rum chorus. Non quasi existimem, posse aliquem excellere in omni studiorum genere: sed quia, si recta insistatur via, mediocris omnium notitia non obsit, sed plurimum prospicit ad unius vel alterius studii accuratam notitiam adspiranti. Præterea, homo seu eruditule, seu erudite. cogita tecum, non quam multos doctrinâ præverteris, sed quam multi sint qui te à tergo reliquerint. Cogita etiam illud B.
Hieronymi ad Vigilantium: *Non parum est scire, quid nescias.* Eoq; non tam obversetur, quantum scias, quam quantum nescias, siquidem, quæ scis, nec decima, imo nec centesima sunt eorum pars, quæ nescias. Deniq; animo illud obversetur, utcunq; pulcrum sit audire doctum, pulchrius esse haberi prudentem; pulcherri-
num autē esse piū. Imo quid vera doctrina, nisi prudentiæ ac pietatis est instru-
mentum? At quantus est eruditorum nu-
merus, quorum hos prudentia, illos pie-
tas, nonnullos utraque destituat! Et his
te fortasse præfers, quos doctrinæ ex-
pers, vel prudentia, vel pietas, vel utra-

que commendat. At longè satius sit rejici in gregem indoctum, qnam excludi à sapientibus, hoc est, prudentiâ ac pietate ornatis.

Quae proximè diximus, ad omne genus literatorum pertinent: sed quanto mihi carior, tanto & notior est ordo noster. Quare non possum ab animo impertrare, ut manum de hac tabulâ tollam, & tam citò alium ad ordinem transeam. Obversantur animo in choto eruditorum qui gaudent titulo doctoris; tum qui dignitate professoris; tum qui claritate scriptoris. Non minus his examine sui opus est, quām indoctis. Liceat igitur omnes hos affari. Ac primum sermo mihi vobiscum fuerit, qui Doctoris estis titulum adepti. Expendite, utrum hoc elogio digni sitis an indigni. Jure isthoc honoris consequuntur, qui non solum memoriâ sunt complexi, quæcunque de proposiâ arte, vel scientiâ tradi in scholis solent: sed judicio præterea adeò sunt subacto, ut præcepta in actum sciant deducere. Nec enim titulum doctoris Medicis

dicinæ meretur , cui ægrum non ausis
committere; nec Jurisconsulti, cui desit
fiducia suscipiendi causam ullam. Solis
vero honos ille convenit, quorum studia
in tantum maturuerunt, ut ad scientiæ
suæ πρᾶξιν idonei sint. Quod demum fue-
rit in Medicinæ candidato, si celebrem
Medicum ad ægros itantem diu fuerit
comitatus: in Jurisprudentiæ candidato,
si diu audierit causas coram tribunali a-
gentes. Sed feramus sane morem Acade-
miarum, quo recentes à ^{Deo} ^a Docto-
ris elogia insigniuntur. At quis toleret,
quod qui non aliter præcepta gustarunt,
quam canis Nilum ; interdum etiam ne
gustarunt quidem ; avaritiâ ac stultitiâ
Professorum , honorem illum ^b imme-
rentes consequuntur, qui collatus etiam

B 5 adi-

a. Sane doctorem scientiâ Senatus Academicus vel
Princeps facere nequit : sed titulo potest.

b. Nec cogitant, quantum sit peccatum doctoris ti-
tulum poscere, nisi merearis : Nam injurius est aliis,
quibus propter hunc titulum præponitur, tum hono-
re tum loco. Atque hoc imprimis noxiū, si quis indi-
gnus doctor Theologiæ factus aut Medicinæ. Nam titu-
lus facit, ut multi consilium poscentes ab eo, pereante
ratione animæ vel corporis : Vide Cajetan. in Summu-
la tit. Doctoratus.

adimi potius debebat. Unde jam olim illa Laurentii Vallæ querimonia fuit, magorem esse numerum doctorum à recto doctor, quam doctus. Et quis nescit illud calcatum, *Accipiamus pecuniam, remittamus asinum in patriam!* Nec solum vide, an honore eo dignus sis : sed etiam an non propter eum cornua tollas, & iis impetas solide eruditos. Quod profecto non faceres si te ipsum nosses. Tu à pauxillis alicujus Lycei Professoribus pretio tibi doctoris titulum comparasti : & præ te contemnes illos, quos quicquid eruditorum est in orbe æstimat, & pro mundi doctoribus agnoscit? Hoc vitium in aliis etiam, sed maxime dominatur in juventute, quæ, ubi titulo auctior rediit domum, plebeculæ facile imponit : sed vere docti continuo conspicunt auriculas asini prominentes. Tales struthionibus etiam vere compares, qui externo apparatu minantur sublimem volatum ; sed vix se valent attollere à solo.

Hinc jam venio ad professores Academicos : quos non inscitè à doctissimis ho-

hominibus in tria video genera dipescis;
apes, fucos, crabrones. Apes gignunt
mel fragrans: & tum hujus alimoniâ au-
ditores pascunt, tum odore ejus multos
sagacioris naris ad Academiam pellici-
unt, præcipue si aureis ingenii doctri-
næque monumentis illustrem sibi, pari-
terque Academiæ, atque adeo patriæ fa-
mam pariant. Fuci, favore magnatum,
in ordinem professorum allesti indigni,
non de honore Academiæ solliciti sunt;
sed duntaxat de commodis, quæ ex eâ
dignitate percipiunt. Crabrones invidiâ
lacerant præstantium collegatum famam,
ut sic ipsi quidem videantur, quod non
sunt, ac præclaræ illæ animæ non videan-
tur, quod sunt. Nunc qui te pulchro
Professorum ordini insertum prædictas,
attende quæso, num in apibus, fucis, an
crabronibus, nomen merearis.

Tertius dabatur scriptoribus locus.
Et hi saepe intumescunt ob qualcumcun-
que nominis celebritatem, quam si non
habeant, saltem habere sibi videntur.
Nam nulli desunt laudatores: & ut adu-

B 6 latio-

latores absint, sibi quilibet adulatur, su-
 osque etiam deformes fœtus amat. Quare
 conducibile est, priusquam labores quis-
 que suos divulget, ut non contentus secū-
 singula serio expendere, etiam, Plinia-
 no ^a more, communicet duobus vel tri-
 bus, viris doctis, prudentibus & bene-
 volis: eorum judicia exposcat: imo, ubi
 īdagine majori opus, judicia etiam an-
 notet, quo per otium accuratius singula
 expendat. Imo, apud veteres & ille lau-
 datissimus mos erat, coram frequenti sua
 auditorio legere, & ex singulorum vul-
 tibus, tum laudes, tum culpas observare.
 Hæc qui insuper habent, saepius fucum
 faciunt, non posteris dico, qui justo o-
 mnia pretio æstimabunt; sed sibi ipsi, &
 aliis sui seculi imperitis, quorum maxi-
 mus esse numerus solet. Cogitet etiam,
 an argumentum, quod suscepit, melius
 tractarit quam priores: hoc est, an prior-
 rum inventis pulchra quædam superaddat
 de ingenio suo: vel an cohibilius succin-
 etiusque, & majore cum genio, rem
 expo-

^{a.} Lib. 7. cap. 17.

exponat : & verbo ut dicam , an post-
quam tantum est librorum in orbe, ut iis
legendis nec plurimorum ætas sufficiat,
nihilominus interfuerit orbis literati ,
isthuc etiam scriptum in lucem prodire.
Hoc eo fidentius scribo , quia multi
quantivis sibi pretii videntur , cum non
scriptores sint ; sed exscriptores , & ita
exscribant, ut satis pateat eos, quos ex-
scribunt, longè melius argumentum il-
lud intellexisse , quam ipsos ; elegantius
etiam tractasse. Quod fieri solet ab non-
nullis, quibus esuriendum domi, nisi hoc
misero artificio pecuniolæ aliquid com-
parent. Sed ut fortasse talibus, velut ne-
cessitate adactis, veniam demus ; non illis
tamen ignosci debet , qui malignè adeo
de seculo fentiunt. ut omnes existiment
naris esse tam obesæ, nt non videant ho-
minis furta , & ineptias : ac propterea
etiam Theonino dente arrodant viros
bene de publico merentes ; sui dissimilli-
mos. Quanquam ne hos quorum labores
æstimamus, æquum est , eo tumido red-
di animo, cæterosque præ se aspernari.

Nam

Nam quantillum est bene de aliis mere-
ri, si de nobis malè mereamur: uti sit si
studia in nobis fastum pariant, non mo-
destiam; quæ præcipua est prudentiæ,
Christianæ imprimis, virtus.

A doctrinâ transeo ad Prudentiam,
ac Virtutem. Est vero id in animâ vir-
tus, quod in corpore sanitas. Nam uti
hæc est à temperie humorum: sic illa ab
harmoniâ affectuum cum ratione. Dispi-
ce igitur, an sanus tibi sit animus: hoc est,
an eum prudentia sic moderetur, ut ne
succumbat insidiis, vel insultibus affectu-
um. Reducuntur verò hi vel ad irascen-
tiam, quæ aliter animositas ac irritabili-
tas dicitur: vel ad appetitum, qui aliter
concupiscentia aut cupiditas vocatur.
Horum irascentia militi à Platone; cupi-
ditas plebi comparatur; quia ille erectior,
hic demissior. Priori objicitur malum
aliquid: puta injuria, periculum, vel æ-
rumna: unde metus, dolor, ira. Tum
prudentia obducit animi magnitudinem,
ac fortitudinem: sed & mansuetudinem,
ut iram inhibeat, ac leniat. Nisi hæc
Vir-

Virtus agat, transit homo in feram. Posteriori se offert illecebra quæpiam voluptatis: sive illa gulæ, seu libidinis. Sed Ratio obducit temperantiam. Quod nisi fiat, transit homo in pecudem: ut scire Epictetus ajebat. Præter hasce virtutes duas & alia est, quæ à variis affectibus oppugnetur: nempe *Justitia*. Hæc violatur tum ab irâ, ut in cædibus, ac injuriis: tum à cupiditate, ut in furtis, ac rapinis: tum à libidine, ut in adulteriis, ac stupris: tum à metu, dum propter eum quis officium non facit. Sed & ab inscitiâ oppugnatur: quia non omnes vident quid sit jus, vel æquum. Quare cogitandum cuique, an non iræ laxet habendas; aut dolori nimium indulgeat; aut Veneri vel Baccho addictior sit: aut metu officium deserat: aut cupiditate habendi aliis sit injurius: aut aliter negligat virtutem. Quæ jejunius dixi, paulum diducam.

Primum igitur vide, utrum fortiter feras adversa, an muliebriter: quorum hoc si est, medicinam ex philosophiâ pente. Videlicet cum iis, quæ adversa obtin-

tingunt, confer secunda. Aliter si agis,
 pueris es conferendus, qui, unum quid è
 multis amittentes, magis dolent de uno
 illo, quam gaudent de multis sibi relictis.
 Sapiens vero lætabitur, quod bonum ali-
 quod hactenus habuerit, & ubi habere
 desit, tam multa sibi supersint incolu-
 mia. Atque idem cum cæteris se conse-
 ret hominibus; ac plurimum ita sit, ut
 hinc discat potiorem sibi fortunam esse,
 quam longe maximæ hominum parti. Se-
 necæ est, sed de ambitiosis; ^a Nemo eo-
 rum qui in Rep. versantur, quos vincat, sed
 à quibus vincatur, adspicit: & illis non
 tam jucundum est, multos post se videre,
 quam grave, aliquem ante se. Habet hoc vi-
 tium omnis ambitio, non respicit. Hoc pau-
 lum immutatis verbis etiam impatienti-
 bus aptâris: Nemo enim eorum qui ad-
 versâ premuntur fortunâ, cogitat, quot
 infeliores, sed quot feliores & illi
 non tam solatio est multos post se videre,
 quam grave aliquos ante se. Habet hoc
 vitium omnis impatientia, non prospicit.

Prae-

a. Epist. 72.

Præterea, ut Vates ait Venusinus,
non si male nunc, & olim
Sic erit.

Maronis illud animo obversetur:
Durate, & vosmet rebus servate secundis.

Telesphorus à Lysimacho, feræ instar,
caveæ inclusus, cum ostentui sic foret, &
fædè ac miserè viveret, si hoc vivere di-
cendum, suasere amici, ut spontaneâ vi-
tam inediâ fineret. Ille vero quid? ^a
Omnia homini, dum viveret, speranda esse.
Quicū convenient hoc poëtæ Salmonensis:
Vivere spe vidi, qui moriturus erat.

Egregiè hanc Spei vim describit Ti-
bullus lib. II. eleg. VI. Imo nec absurdè
philosophi illi, qui vitam Spe dicerent
contineri: unde & ἐλπίσιοι, quasi *Speratīvōs*
dicas, vocabantur; ut est apud Plutarchū
in IV. *Symposiacion*. Quæ appellatio præ-
cipuè Christianis convenient spem omnem
in Christo, ac meliore per eum vitâ, re-
ponentibus.

Propterea cogitabit etiam sapiens di-
vinam coelestis Patris Providentiam,
quam Stoici *Fatum* dixerunt. Hæc omnia
a. Seneca epist. 70. dispense-

dispensat, ut vult: nobis verò obsequandum: boni, id si agimus; mali, si pareamus invitati. Non inscite hac mente Cleanthes apud Epictetum in Enchiridio; cuius versus sic Latinè Seneca ^a expressit:

*Duc me parens, celsique dominator Poli,
Quocunque placuit. nulla parendi mora
est:*

Adsum impiger. fac nolle. comitabor gemens:

Malusque patiar, quod pati licuit bono.

Eo autem libentius in divinâ nobis Providentiâ est acquiescendum, quod illa, pro suo amore, bono nostro, agat; aut sinat, quæ tantopere dolemus. Quam illi proscripctio erat molesta, de quo B. Hieronymus loquitur in secundo contra Jovinianum! Atqui hic paupertina sorte bona esse frugis cœpit; & cum antea foret podagricus, temperantia est adeptus, ut ne humores deinceps fluenter in nervos. Plato, Dionysii tyranni amicitia excussus, securius, feliciusque cœpit philosophari. Zeno Cittieus à naufragio egit

a. Epist. 107.

For-

Fortunæ gratias, quod occasionem haberet philosophandi. Estque hic ille, qui Stoicam deinde sectam condidit. Diogenes, urbe unâ ejectus, aggressus est contemplari universam rerum naturam. Estque ingens similium exemplorum seges.

Jam quantum est, quod si non emendemur unis alterisve plagiis, non cesset Deus affigere, donec tandem, consuetudine adversorum, discamus patientiam. Hoc etiam Seneca ^a vidit, quando Naturam ait nullo nomine melius de nobis meruisse: quam quod cum sciret, quibus eruminis nasceremur, calamitatum mollementum Consuetudinem invenit; citò infamiliaritatem gravissima adducens: Nemo duraret, si rerum adversarum eandem vim assiduitas, quam primus iitus haberet. Nempe ut mala malis accudantur, posteriora tamen mala, licet paria sint prioribus, non pariter tamen afficiunt, quia assuetudine duratus est animus; præcipue iis, qui conditionem cogitant naescendi, imò & renascendi: quia ue

au-

a. De Tranquillitate cap. 10.

aurum igne fit purius, sic filios suos calamitatibus purgat Deus. Et quid perhorrescant, quibus nec mortem esse terrori oportet: ut qui sciant moriendi legem primis esse datam parentibus; nec posse nos aliter hujus vitae malis liberari, & ad meliorem vitam transire. Interim, fateor, vel cogitatione mortis illi horrorem incuti, qui ita vixerit, ut conscientia poenas severi judicis extimescat. Verum hoc non mortis est; sed vitae nequiter transactae. Longe aliter comparatum est cum piis, utcunque morti etiam accenseas aditum ad mortem, qui multis in morbis saepe peracerbus. Recte ergo B. Augustinns lib. xiii. de Civit. Dei cap. VI. Quicquid illud est in morientibus, quod cum gravi sensu adimit sensum, pie fideliterque tolerando auget meritum. Ubi meriti vocabulum ex usu veteris Ecclesiæ accipi oportet. Videlicet pro mercede, quam Deus se rimentibus promisit.

Hinc pensicules velim, an tempe-rans sis, & quia paucis ea virtus, an non longè etiam ab hac virtute absis.

Blan-

Blandus est hostis voluptas , cuius illecebris non facile resistimus , nisi illud assiduè cogitemus , nihil esse voluptare incertum magis , cùm planè pendeat à fortunâ : unde est , quod nunc eâ afflui-
mus , nunc creamus . Nihil quoque tam servile esse & abjectum ; ut quæ commu-
nis sit nobis cum mutis animantibus . Ni-
hil denique inimicum æquè tum sapien-
tiæ , quia menti caliginem obducit : tum industriæ , quia animo languorem parit :
tum vigori , quia corporis sanitatem la-
befactat . Eo melius Natura consuluit no-
bis , in Venere imprimis , quod eam bre-
vem esse voluit , & talem , ut assiduitate
ipsa fastidium gigneret .

Proxima est Justitia , quæ versatur cir-
ca modos cum hominibus conversandi .
Loquimur verò non de justitia civili mo-
do , quæ exigit , ne quem fraudemus , aut
laedamus , (hæc enim innocentia admo-
dum est angusta) sed de justitiâ naturali ,
quæ requirit ut quandoquidem cognati
omnes sumus , ab eodem Deo , eâdem con-
ditio-

ditione generati, eò nos mutuò amemus nec, solis nobis vivamus, sed ad aliorum quoque usum referamus, quod possidemus. Atque hoc ipsum suadet quoque partim humanæ vitæ fragilitas, magnum miserationis suscitabulum: partim mutui auxilii necessitas. Pulchre de isto Seneca epist. xcv. Ecce altera quæstio, quomodo hominibus sit utendum. Quid agimus? quæ damus præcepta? ut parcatur sanguini humano? quantulum est ei non nocere, cui debetas prodesse? Magna scilicet laus est, si homo mansuetus homini est. Precipiems, ut naufrago manum porrigit, erranti viam monstret, cum esuriente panem suum dividat? Quando omnia, quæ præstanta sunt, ac vitanda, dicam, cum possim breviter hanc formulam humani officiū tradere? Omne hoc quod vides, quo divina atque humana conclusa sunt, unum est: membra sumus corporis magni. Natura nos cognatos edidit, cum ex iisdem, & in eadem gignerent. Hæc nobis amorem indidit murum, & sociabiles fecit: illa æquum justumque composuit; & illius constitutione miserius est necere,

cere, quam laedi: ex illius imperio paratae
sunt ad juvandum manus. Iste versus &
in pectore & in ore sit: Homo sum, humani
nihil à me alienum puto. Habeamus in com-
mune, quod nati sumus. Societas nostra la-
pidum fornicationi simillima, quæ casura,
nisi invicem obstant, hoc ipso suffinetur.
Vide nunc, an non multifariam adversus
justitiam pecces? num errantes rectius
instruis? num afflitos solatio, vel auxilio
juvas? num erga inferiores non super-
bus, sed comis & assabilis es, planeque
talis, qualis erga te velles esse superiores?
num alii à te patiuntur, quod ab aliis pati
recusares? num aliis agis, quicquid ab iis
velles tibi fieri?

Atquæ hæc de virtute, quam tum de-
sum verè habemus, cum nec malè agi-
mus, quando scimus fore ut lateat o-
mnes: nec omittimus rectè agere, etsi nul-
lum inde præmium vel honorem exspe-
temus; sed sola nobis sufficit bonæ men-
tis fiducia.

Restat, ut de pietate cogitemus; arte
artium, & scientiâ scientiarum, quæ
que

que sola habeat promissionem vitæ æternæ : ut propterea, sine eâ , satius fuerit nunquam vidisse hanc vitam. Ea cum partim sit credendorum , partim sperandorum , partim faciendorum ; unumquemque examinare se oportet, habeatne & fidem, & spem, & charitatem.

Primum igitur dispice , an credas , à Deo omnia esse creata , atque ejus providentiâ gubernari universa , ei te omnia debere, in hoc fiduciam reponere, etiam in adversis, quæ bono tuo immittat, vel permittat. Credasne item in Verbum , quod pro nobis carnem assumxit , inque ea pro peccatis nostris passum fuit, ac die illo veniet è cœlis ad judicandum vivos , & mortuos. Credasne etiam in Spiritum Sanctum , per quem sanctificamur , & membra sumus corporis mystici , cuius caput est Jesus Christus.

Hinc vide an speres à Dei misericordiâ per & propter Jesum Christum remissionem omnium peccatorum , & vitam æternam: uti in se credentibus Christus promisit. Sperare igitur hoc licet, si

sup

con-

scius tibi sis, quod verè credas. Uthic quoque locum habeat Sallustii illud : ^a
Suis cuique animus ex conscientiâ spem praebet.

Sed vera fides non est, nisi sit viva, & efficax per charitatem: ut porro expendere quemq; oporteat, ut habeat charitatem. Vide igitur an Deum creare ames ante omnia: quod non est, si magis ames honores, opes, voluptates carnis. Nec enim possumus pariter Deo, & Bézial inservire. Vide an ames æternum Dei filium, Dominum tuum Jesum Christum; quod non facis, nisi propter eum paratus sis mundo renunciare, ac potius vitâ profundere, quam eum abnegare. Vide etiam, an ames proximum, quod non est, si tuis solum commodis studeas, multò minus, si parentibus, & aliis publicè aut privatim præfectis, neges honorem debitum; si alienum effundas sanguinem: si alterius torum macules: si fraude, aut vi, aliena occupes bona: si nominialieno detrahas: atque adeò si irâ, odio, invidiâ,

C

libri

a. Orat. 2. de Rep. ordin.


libidine, aliove affectu, velut oestro, percitus, tale quid animo concupiscas, ut cunque delictum consistat intra cogitationem, quam homines scire non possunt. Vide denique an cum hisce & cæteris vitiis assidue pugnes, & fortiter pugnes, atque in hac pugnâ magis magisque virtia superes. Nam, ut B. Augustinus ^a ait, *Ipsa virtus* (pietatem quoque hoc nomine complectitur) *quid hic agit*, nisi *perpetua bella* cum vitiis; nec exterioribus, sed interioribus; nec alienis, sed planè nostris. Nec cessare in pugna hanc fas est nobis, quia cum callido, & valido hoste negotium est nobis, qui nunquam cessat lacestere: ut si nos paulum cessemus resistere, languidiusve agamus, facile succumbamus. Scitè hoc illustrat B. Hieronymus in III. contra Pelagianos: *Quomodo què adverso flumine lembum trahit, si remiserit manus, statim retrahbitur, & fluentibus aquis, quo non vult, ducitur: sic humana conditio, si paulum se remiserit, discit fragilitatem suam, & multa se non posse*

^a lib. 19. de Civ. Dei cap. 4.

posse cognoscit. Quotiescumque igitur à carne, mundo, Satanā, solicitamur ad peccandum, nunquam animum sic remittamus, ut amittamus: sed in eo assiduis, ut carnem rationi, rationem subdamus Deo: donec illic simus, ubi nullum amplius erit certamen, sed pax æterna.

F I N I S.





GERARDI JOANNIS VOSSII
DE
STUDIORUM
RATIONE
OPUSCULA.

*Ex Auctoris autographis au-
cta & castigata.*

EDITIO ALTERA.



ARGENTORATI,

Apud JOH. REINH. DULSSECKERUM,
Anno 1709.

JOannes Alexander Brassi-
canus rogavit ERASMUM,
qua ratione doctus posset
fieri, respondit ex tempore:
Si doctis assidue conviveret:
Si doctos audiret non minus
submisse quam honorifice:
Si doctos strenue legeret: Si
doctos diligenter edisceret:
denique si se doctum nun-
quam putaret.

Fol. I.

DISSERTATIONIS
GENERALIS BIPAR-
TITÆ

PARS PRIOR,

Quæ tradit,

*Quibus Disciplinis perfecta
Conset Eruditio.*

IN ratione studiorum primò in considerationem venit, quām varia sint disciplinarum genera. Acaliae quidem *communes* sunt ; aliæ excellentiæ causa *eruditæ* nuncupantur. *Communes* voco, quibus etiam sedant, qui inter eruditos referri non solent. Quales Aristoteli *viii. Polit.* sunt *Grammatistice*, *Gymnastice*, *Musice* : ac quorundam judicio etiam *Graphicæ*. *Grammatistice* est legendi, scribendique scientia : quæ doctrina planè est divina : etsi, quia puerilis & vulgaris, eò vulgo abjecta, dispretaque habeatur. *Gymnastice*, in corporis exercitatione consistit.

C 4

Ac

2. Gerardus Joannes Vossius

Ac veteribus erat simplex, bellica, vel athletica. Nostri temporis Gymnaſtice, præter saltationem, comprehendit digladiationem, equitationem, & natationem. Musice, secundum Pollucem, triplicem harmoniam observat; unam ore, alteram manu, tertiam pedibus. Ut ad eam non minūs, quam Gymnaſticen, saltatio pertineat: ars nec inutilis, nec laude indigna, quādīu ſe intra honestatis continent cancellos, nec excellere ēā ſtudet, quem id non decet: Graphice eft ars pingendi: quæ in nonnullis plus etiam præstat, quādīo dictio, aut ſcriptura: ac in peregrinationibus etiam plurimum juvat.

Disciplinæ eruditæ vel ſunt verborum, vel rerum. Verborum cura vel Grammatica eft vel Rhetorica: vel Poëtica. Grammatica ars, pure loqui docet: Rhetorica ornate: Poëtica, lege metrica. Loquor verò nunc de artibus iſtis, quatenus circa verba ſolum versantur: non quatenus Grammatici iidem ac philologi, variæque eruditionis amantes. Nec prout Rhetorica ſumitur pro facultate
Ora-

Oratoriâ : vel Poëtica fabulis naturæ ar-
cana involvit, vitæve exempla proponit.
Quomodo & Rhetorica & Poëtica par-
tes sunt longè augustioris consideratio-
nis , quippe partes eloquentiæ, de quâ
postea dicetur. Optandum autem foret,
ut, sicut olim, ita nunc etiam gens aliqua
superesset, quæ latine loqueretur. Expe-
ditissimam haberemus addiscendæ lin-
guæ Romanæ viam. Nunc cum hodie
perpaucorum ea sit laus , ut purè scri-
bant: pauciorum, ut loquantur: cum præ-
ceptis vero, si pauca quædam exceperi-
mus , ita comparatum sit, ut ea aliquo
usque proiectos juvent , incipientes ve-
rò morentur : vix alia profectò est ratio
sermonis formandi , quàm si veteres le-
gamus, & sequamur. Modum verò ejus
rei inferius exponam. Dubitet quoque
aliquis, num , quia nunc de eruditis so-
lùm disciplinis loquimur , eò hic agatur
de puritate sermonis in iis modò linguis
quæ olim obtinuere vulgò : nunc vero,
solis sciuntur doctis : ut sunt Romana,
Græca , Hebræa , Arabica, aliae : an et-

C § iam

4 *Gerardus Joannes Vossius*

iam de puritate in peregrinis illis, quæ
hodieque in usu sunt totis gentibus: qua-
les Gallica, Italica, ac similes. Vulga-
res enim videntur, quia notitiam earum
sæpe etiam vulgares animæ possident,
rerum omnium imperitæ. Mihi medii
sunt generis: interim parum referre cen-
seo, utrum doctrina earum reducatur
ad disciplinas communes, an eruditas:
dummodo fateamur usum earum esse &
eruditis maximum, partim ad vitæ pu-
blicæ privatæque commercia: partim ad
intelligendas res maximas, quæ vix aliis,
quam vulgaribus illis linguis sunt exa-
ratæ. Imò in puritate & elegantiâ linguæ
etiam vernaculæ exercitari utile puto:
qualis his terris Belgica. Nam & illa non
aliis minus linguis suas Veneres habet:
quas exiguae fortassis laudis est scire, il-
laudatum tamen nescire. Adde, quod nec
rarô adversus linguæ vernaculæ purita-
tem peccat vulgus; sæpè etiam eruditæ,
dum invitâ linguâ Belgicâ, ad Latinum
eam morem accommodant; Walonibus
nostris similes, conantibus loqui Belgicè,
aut

De Studiorum Ratione.

3

aut Belgis imperitioribus, loquentibus Latinè. De verborum doctrinâ satis.

Rerum doctrina vel est singularium, vel universalium. Prior illa vocatur Historia, quæ cum linguæ studio optimè conjungitur. Cum enim Historia partim rerum naturam describat, partim res gestas narret; ex naturali quidem communia rerum penè omnium vocabula discemus: ex gestorum illâ hauriemus proprias personarum, ac locorum appellations: sine quarum notitiâ non poëtæ, non oratores, non ullum intelligi possit scriptorum genus. Ut satis liqueat etiam ad descendam linguam latinam non esse expeditiorem proficiendi modum, quam si cum Cicerone, aut Terentio historiam jungamus. Scd longè maius est, quod ex historiâ naturali, scientia naturalis & ars medica nascitur: ex historiâ vero rerum gestarum, tota Philosophia practica, cum Jurisprudentiâ originem trahit. Ex singularibus enim ad universalia devenitur. Hæc universalium doctrina à Platone dividebatur in περὶ τὰς

C 6

Σέιαν,

6 Gerardus Joannes Vossius

sciar, vel παιδεία. Illa præparat, hæc perficit. ἡρόπαιδεία continet Mathesin, & Logicen. Mathesis versatur vel circa quantitatem discretam, ut Arithmetice; vel continuam, ut Geometria. Logice dirigit intellectum in cognitione veri: præcipuaque ejus instrumenta sunt argumentatio, definitio, divisio, methodus. In quibus multum etiam sola valet naturæ felicitas, & ars dux est certior naturâ.

Atque hæc de παιδείᾳ: quæ sic dicuntur, quia docendi ordine antecedat παιδεία. Ut enim ædificare volentibus prior est fundamenti cura, proxima autē structuræ: ita etiam se res habet in doctrinarum studiis. Structura παιδείας nomine censetur. Ea partim cognoscitur lumine naturæ, partim supernaturali. Prior Philosophiam continet, & eloquentiam. Philosophia consistit in Sapientiæ & Prudentiæ studiis. Sapientia comparatur notitiâ naturæ. Atque ad eam, ut dixi, etiam Medicina refertur. Prudentia comprehendit scientiam moralem & civilem. Ex posteriori

riori enascitur Jurisprudentia, Eloquētia docet aptē dicere ad persuadendum; Idq; vel prosā oratione; ut Oratoria; vel carmine, ut Poëtica. Utraque Politicæ est instrumentum; sed ut Politicus sit Orator, multum refert: cūm in vita familiari, ubi multum ornat, & amicos parit; tum præcipue si dicendū in concione ad populum: in curia ad Senatum, in castris ad militem, in legationibus ad exterros Reges, vel reipubl. Antistites. Sed Politicum itidem esse Poëtam, nihil necesse est, quia bonum quod ex dramatis, & aliis poëmatis redundat ad Rempubl. per alios exse qui licet. Quare Lælius & Scipio, sive Furius, aut Sulpitius Gallus nobilissimi homines, non ipsi suo nomine dramata ediderunt, et si adjutarint Terentium. Sed ut à Politico hoc studium non requiratur, tamen ejus notitia auget nominis decus. Imò nec à laude carminis tragicī abhorruere Asinius Pollio, & Augustus, ut Julium mittam, qui tragœdiā scripsit, sed puer. Superest doctrina supernaturalis, sive Theologia Christia-

na.

8 *Gerardus Joannes Vossius*

na, quæ doctrinæ est divinitus revelata de Deo, & officio hominis, in spem vitæ æternæ. Quia vero hic periculosius erratur, utile est in tanto Ecclesiæ super variis capitibus dissensu, ut ipsi scripturas legamus, idque animo humili, & affectibus minimè mancipato. Recentibus etiam doctoribus addemus veteris Ecclesiæ interpretes, ac considerabimus, in quibus ubique ac semper conspirarint; in quibus dissenserint; & quando dissensus ille cœperit, & ubi alii alios tulerint, ubi non item. Quo pacto futurum, ut & necessariæ veritati, & Ecclesiæ concordiae melius consulatur.

DIS-

DISSERTATIONIS
GENERALIS BIPARTITÆ

PARS ALTERA,

Qnæ ostendit,

Quomodo variae adèo discipline optimè
addiscantur.

VIdimus, quam latè pateat doctrina. Ea vero est humanæ mentis imbecillitas, ea voluptatis vis in animos nostros, ut licet in studiis ad summa contendamus, sic quoque longè satis abfuturi simus à summo. Tantò magis in pueritiæ & adolescentiæ institutio-
ne semper est collimandum ad id, quod est perfectissimum, hoc est, ut eò tandem homo pertingat, nihil ut penitus nesciat: saltem eò contendendum, quatenus di-
scensis ingenium, & fortuna ferat, & vi-
tæ genus finat, cui quis destinatur. At-
que hoc optimè perspexit vastissimæ e-
ruditionis vir, nec sine laude nominan-
dus, Nicolaus Damascenus, Augusti
Cæsaris amicus: qui & ab eo placentis,
vel

10 *Gerardus Joannes Vossius*

vel potius dactyli Nicolaorum nomen imposuit. Hic, ut ex vetustioribus prodidit Suidas, docto patre natus, celebris in patria erat adhuc imberbis: nullo Grammaticorum inferior, inque omni poetica exercitatus, sic ut comediae etiam, & tragœdiæ ejus laudarentur ab eruditis, & intelligentibus. Provectior verò etiam evasit egregius dicendi artifex; nec Musicæ solum, sed universæ Matheos contemplationi se addixit: tandem & toti Philosophiæ, in qua omnigenam Aristotelis doctrinam maximè æmularatur. Hoc miraculum hominis dicebat, quemadmodum, qui suscipiunt peregrinationem longinquam, alicubi quidem divertunt, noctemque commorantur; alicubi solum prandet; alibi verò diebus aliquot subsistunt, & alia curiosè, alia obiter speculantur: reversi verò proprias inhabitant domos: similiter universæ amantibus eruditionis ac doctrinæ, in quibusdam studiis brevi, in aliis longo esse tempore commorandum: quasdam disciplinas esse integras addiscendas; in quibusdam

dam elementa sufficere : atque ubi ex omnibus iis, quod utile est instituto suo, hauserint, quasi domum reversos in sapientiae, ac prudentiae studiis, quae Philosophiae nomine continentur, assiduos esse oportet. Ex ejus igitur viri consilio contenti esse debemus perfectione istiusmodi, quam nihil penitus nescire dicatur, quia nullius studii simus prorsus expertes : interim alia sciamus leviter, alia mediocriter, alia accuratè. Leviter quædam, ob exiguum usum, pro vitæ generе, quod propositum est nobis : in ejusmodi satis est elementa hausisse. Mediocriter alia, ob usum majorem, & quod sine iis ea intelligere, vel tueri nesciamus, quæ scopus sunt studiorum nostrorum. Exactè vero, quæ potissimum tangent vitæ genus, quod instituimus. Variant enim singula istorum pro vitæ proposito. Ita hodie majori jure linguae Græcae peritia in Medico requiritur, quam in Jurisconsulto ; major etiam notitia scientiæ naturalis. At Jurisconsulto magis opus cognitione historiarum, & philo-

12 Gerardus Joannes Vossius

philosophiae moralis ac civilis. Theologum magis, quam Jurisconsultum, aut Medicum, Logicis, & Metaphysicis imbutum esse convenit. Etiam magis illi necessaria est notitia Orientalium linguarum. Historiae verò Ecclesiasticae notitiā potissimum quidem in Theologo requiram: mediocri interim opus censeo in omnibus eruditis: præsertim si futurum aliquando, ut sedeant ad clavum Reip. Quales imprimis, in religionis etiam negotio, non alienis modò, sed suis oculis videre par est. Scripturas igitur sedulò elegant, &c. ut ante dicebam, antiquis interpretibus sociare discant novos, novis item antiquos.

Exposuimus hactenus duo ista, quæ & quatenus sint discenda. Tertium restat, quâ ratione facillimè tam vasta rerum notitia paretur. Penè ab incunabulis ordiendum: non tetricâ ratione, sed suavi, & quasi lusitando. Sanè pueriles animi mirè capiuntur narratiunculis, & picturis. Quare quadrienni etiam vel minori, interdum & antequam legere dicatur,

scat, mater, vel pædagogus librum proponat, qui piætas exhibeat historias omnes Veteris, & Novi Instrumenti. Figure singulæ monstrantur, explicentur. Ita breviculo spatio puer historiam biblicam sciens. Exemplis etiam subjicere liceat salutaria præcepta, quæ inde colliguntur. Sic metus Numinis, & reverentia instilabitur. Etiam sylvam vocum Latinarum occasione eadem addiscere licebit. Exempli gratiâ, in primâ picturâ, quæ creationis historiam proponit, videre erit Solēm, Lunam, stellas, virum, feminam, arborem, serpentem, pomum, leonem, bovem, cuniculum, pavonem, alia; in quibus puer rogatus quid quidque sit, Latine etiam nominare disbet. Par ratio fuerit in cæteris picturis.

Mox consequetur, vel etiam sociabitur Grammatistice, sive legendi, & scribendi scientia. Literæ lusitando varie discuntur. Inter alios modos, si sphærulis lusoriis literæ alphabeti singulæ è chartâ agglutinentur, nec alias puero licet obtinere, quam in quibus literarum

in-

in scriptarum nomina sciat: quarum oblitus erit, etiam sphærulas deperdat. Quod si firmiuscula sit pueri pro ætatu manus, possit non à legendo, sed à scribendo ordiri. Nam dum discit literas formare, eādem discet eas noscere. Utile autem incipere ab alphabeto Italicarum literarum, sive, ut vocant, currentium. Nam si calleat puer sex, septem figuræ, nullo negotio discet universas: quia reliquæ inde formantur. Exempli gratia; ex o sciet a, c, e. ex i nōrit m, n, u. Vicinæ etiam b, d, g, p, q. item f & f; ex quibus de paucis reliquis facile erit judicare.

Hinc jam tempus vulgaria discere paradigmata nominum & verborum; sed in nominibus, sine illis, ut vocant, articulis. In verbis, ut unum sit Imperativi tempus, primæ personæ expers: citra etiam modum optativum, qui Subjunctivo continetur. Hæc addita citra fructum ullum puero difficultatem augent. Mox hauriet præcepta artis Grammaticæ: quæ adeò sunt pauca, ut pagellis viginti liceat complecti. Quod & in Græ-

Græcis locum habeat. Imò ea quaternione, ut vocant, unico soleo comprehendere. Vulgo multa inferciunt Grammaticæ plane Philosophica, quæque à tenerâ ætate intelligi nequeant. Est hæc verè carnificina: non quasi & ista non aliquando discenda sint: sed & ætate, inque studiis aliquantum proiectis, ut sermonis etiam naturam, & causas intelligent. Quare istorum loco puer præcipuarum rerum vocabula petat ex Nomenclatore Junii. Silvulâ hac vocum, & facilibus, quos dixi, canonibus cognitis, vel fabellæ Æsopicæ, vel paucula poterunt ex Erasmo, Corderio, aliove colloquia proponi, ut ita usus canonum melius appareat. Sed mox scriptores ad veteres veniendum. Ex quibus conductet Terentius ad sermonem familiarem, & epistolicum. Propter quem & elegantesiores aliquot Ciceronis epistolæ sanguantur. Ob metricam vero rationem, post enarratam prosodiam, à Catonis distichis ordiri licebit. Vel selectis quibusdam ex Marone, Horatio, Ovidio, atque

atque aliis. Quo pacto puer in omni ver-
sum genere illustre habebit exemplum.
Atque hæc nunc dicimus solùm , ut li-
queat , quomodo optime consequamur
intelligentiam canonum , de sermonis
Romani puritate, ornatū, metro. Qui
verò potissimum sint legendi propter sty-
lum , & ut præter lectionem requiratur
usus , sive styli exercitatio, postremo à
nobis loco exponetur. Etiam jam tum,
imò multò etiam ante, puta sexenni, vel
septenni utiliter censeo datum iri char-
tas tres , quatuor geographicas , ut inde
distinguere discat tres continentes, & in
primâ Asiam, Africam , & Europam ; in
singulis harum nobiliores regiones , ac
terminos , & primarias urbes, velut Ro-
mam, Carthaginem, Athenas, Spartam,
Constantinopolim , Hierosolyma , &c.
Ostendatur ubi Christus natus , paſſus :
ubi Imperator Germanicus dominetur,
ubi Turcicus : ubi Castiliæ Rex, ubi Lu-
sitaniae : ubi Rex Gallus, Britannus, Da-
nus, Polonus, Suecus : ubi Pontifex Ro-
manus ; ubi sita tellus, atque urbs, quam
ipſi

ipſi incolimus: & ſic in cæteris. Puero ſcire hæc, monſtrareque poſtea aliis, vo- luptatem adferet honestam, ac multum lucis in historiâ ſacrâ, externâ, veteri, novâ. Earum ſacra petatur è Sulpitio Severo: Romana è Floro, Stadii operâ il- luftrato, & Cæſaribus Sex. Aurelii Victoris. Externa è Justino hauriantur. Supple- antur in his cætera è Bucholcero, aut Cal- viſio, vel ſimili. Ubi verò adepti ſumus ge- neralem temporum omnium notitiam, ad quod etiam tabulæ quædam chrono- logicæ conferent; adeundi qui fuſius o- mnia traſtarunt: ante alios Livius: qui præterquam, quod purè adeò & perſpicuè ſcribat, quodque exempla ac præcepta ad fert, quæ Dei providentiam doceant, ac prudentiam augeant moralem ac ci- liem, etiam orationes habet in vario ad- modum argumento multum proſutatas eloquentiæ ſtudioſo. Qui verò fuſe de ſingularum penè gentium impériis ſcri- pſerint, aliâ quadam diatribâ perſequi- mur: unde peti malo, ne ſit, quod dici ſolet, δις κράμψη θάνατος.

Histo-

Historiam excipit Mathesis ac Logice: hinc partim philosophia, tam naturalis, quam civilis, partim eloquentia. Sed qui doctores hæc studia vel primi, vel felicius aliis tractarint, accurate exponimus libris de scientiarum omnium naturâ, usu, & scriptoribus præcipuis: quos prope diem puto lucem visuros.

Quæ hactenus diximus, ea pertinent ad intelligentiam verborum, & rerum. Præterea vero opus est, ut sciamus loqui, ad scribere, tum pure & perspicuè, tum copiosè ornateque. Dixeris, si quis sermonem intelligit Romanum, etiam locuturum eo scripturumque. Sed sæpe linguam intelligimus, quâ loqui nescimus, quia usus abest. Nec si purè sciamus loqui, eò & perspicuè, atque adeò copiosè, ornateque id præstare sumus idonei. Hæc verò duobus consequimur; optimos legendo, & quos legimus, felicititer imitando.

Videndum igitur nunc, qui sunt imitandi, & quomodo imitandi. Ecquis sit imitandus, vocari in dubium non debet.

Quip-

Quippe , ut dictum , nullus jam populus est, qui Latinè loquatur. Quare veterum opus lectione , qui sermone Romano p̄aestiterunt. Sed duo hic attendere convenit : prius pertinet ad proprietatem vocum simplicium & conjunctarum. Hæc ex uno quopiam disci nequit. Ut valdè fallantur, qui putant haud aliis esse utendum verbis, quam Ciceronis : cum non de omnibus rebus scriplerit Cicero: eoque si de re rusticâ , militari , architec-tonicâ, aliisque tacendum propterea non sit, alias cogamur adire scriptores. Nem-pe Ciceronis imitationem non ponimus in verbis, sed lineamentis, & totâ oratio-nis formâ. Nec quia Cicerorem nomi-no, eò p̄aeschrispero omnibus lectionem Tullii, ut unici ducis. Nihil enim invitâ faciendum Minervâ. Suum autem quemque ingenium ad aliud, atque ali-ud dicendi genus trahit. Sed utcunque diversi sint modi, quibus stylo etiam in-veniamus laudem : non tamen in iis est iste, si multos imitemur: quomodo dictio-nunquam futura est æquabilis, & con-

D stans.

stans. Unus igitur aliquis imitandus,
isque optimus. Nam si bonum imi-
temur, non optimum, haud facile evade-
mus boni, quia raro adæquamus, quem
nobis æmulandum proposuimus. Melio-
res autem dare non possumus, quam qui
vixere Julii ac Augusti temporibus; qua-
les ex prosaicis Tullius, Cæsar, Livius: &
mox M. Seneca, Vellejus, Curtius, Fa-
bius. Unum autem imitari expediat; vel
si quem addere velimus, is esto quam
simillimus, ut si Tullio Fabium adda-
mus. In eo autem, quem imitamur, ali-
quamdiu assidui esse debemus, neque ad
proprietatem modò singularum vocum
attendendum; sed etiam conjunctarum:
ut quæ nomina his illis verbis: quæ ver-
ba his vel istis nominibus socientur. U-
trumque horum sedulò exponit in The-
sauro suo Rob. Stephanus. Claudicat
vero hac parte toties recoctus Calepi-
nus. Considerandus etiam particularum
usus: de quo Tursellinus, & Stewechius.
Perutile verò, si, uti in Nomenclatore
suo Junius voces singulas retulit ad claf-
ses

ses certas; ita etiam faciamus in coniunctis: veluti quæ formulæ dicendi obtineant in re forensi, quæ in militari, quæ in rusticâ, vel nauticâ, aliisque. Ad hæc dispiciendum in scriptore, quem nobis proposuimus, (præcipue in Tullio) quomodo sententiam ordiatur, continuet, claudat: quo pacto narret, ad aliud transeat, interroget, ratiocinetur: quâ ratione exemplis illustret, vel aliena verba proponat, firmet, aut refellat. Atque utille etiam in codice quopiam, summâ in paginâ titulis hñjuscemodi annotatis, subdere inferius, quas formulas invenimus legendo: easque varias, ut major in imitando copia suppetat: nec eadem semper chordâ oberrando paupertatem nostram prodamus. Et tamen in formulis ejusmodi, & phrasî universâ videndum, à quo, ubi, quando, & qua occasione, quidque dicatur. Nam variat stylus pro genio tum dicentis, tum retum, quæ dicuntur: aliterque loquimur in epistola, vel sermone familiari, aliter in disputationibus aut artibus tradendis: aliter in

D 2 texen-

texendâ historiâ : aliter in concitato, ferventique dicendi genere ; ut ferè in causis forensibus. Imò ne par quidem ratio est in ordinatione verborum. In epistolâ enim (nisi forte, ob gravitatem argumen-
ti, assurgere debeamus) haud multum solliciti sumus, ne multæ concurrant vocales similes : ne multæ consonantes asperæ ac hiulcæ ; ne multa grandia, aut exilia multa ; utcunque ea satius sit miseri : verùm subinde aliquis talium neglectus commendat, eoque ipsa curæ est incuria. At in oratione studiosè ea sunt observanda ; ac præterea curandum, et periodica ac numerosa sit oratio : adfue-
scendæque aures, ut de soni diversitate judicium ferre valeant. Negligi hoc artificium à paedotribis multis solet : sed miras Veneres addit orationi, ita ut pro his observatis, aut neglectis, eadem oratio haud eadem videatur. Ex uno Tullio hæc optimè hauriri, diximus superius, cum de Rhetorico sermonis ornatu ageremus. Puero autem post selectiores in omni penè argumento epistolas, legendæ etiam

etiam orationes faciliores: quales Catilinariæ, & ad Cæsarem dictæ: postea accedit omnium perfectissima, pro Milone. Etiam ex philosophicis ejus viri quædam delibanda: ut Lælius, & Cato: quos sequentur mox aurei officiorum libri. Nam sic eâdem operâ stylus magna capiet incrementa, & bona pars discetur philosophiæ moralis: sine cuius notitiâ non constat Eloquentia: ut quæ philosophiæ practicæ, ut diximus, instrumentum sit.

Quos scriptores ad facultatem bendifcendi comparandam legere imprimis conveniat, satis mihi videor exposuisse. Venio nunc ad alterum caput, quod est de imitatione, sive exercitatione styli, quæ facundiam perficit, imò penè sola artificem facit. Est verò alia pueris convenientior, alia maiores exigit vires. Prior est duplex: una, si aliqua ex Tullio, aliove linguâ reddas vernaculâ; post aliquot vetò dies, modò benè sint expressa (de quo, si opus, doctor prius judicium faciet) eadem à puero Latinè

D 3 red-

reddantur. Denique ex Tullianorum collatione judicium fiat, quæ à magno illo dicendi magistro melius dicta sint, quo pacto futurum, ut puer, quasi sub ipso Cicerone praesenti proficiat. Posterior exercitatio est, quando puer epistolam, vel historiolam sumit, non disconvenientem multum suis rebus: atque illam, mutatis aliquibus, suo accommodet instituto. E. G. Cicero varios in epistolis consolatur: ex harum unâ, vel pluribus puero aliquem consolaturo fas erit sua excerpere, etiam verbatim periodos totas. Sic ex Tullio melius discet linearia sermonis Romani, & formare ipsum orationis corpus. At majoribus jam viribus est opus, quando in argumento multum diverso imitatio fit, eaque sic instituitur, ut non alteri penè omnia, sed multa etiam nobis debeantur: & quæ ex altero desumpta, ea etiam nostra planè videantur, quia, ut artificiosi fures solent, iis novam planè formâ tribuimus. Cæterum cum initio quis in hoc exerceatur, satius est pauca scribere, & tardè; non verò
atri-

arripere, quæ statim se offerunt : sed quærere meliora, imò optima. Quin ne quidem aliquo usque jam in dicendi studio progressi, industriam hanc omittere debemus. Siquidem qui facultatem benè dicendi comparavit, si ingenium quodammodo habeat in numerato, &c, ita usu veniat, ut extemporali dictione sit opus, non incommodè id præstabit : sed si dare propterea extemporali se dictioni semper volet; facilitate dicendi amittet benè dicendi facultatem.

DISSERTATIO
PARTICULARIS

DE

*Ratione, & ordine, universam legendi
historiam.*

Qui animum ad historiam appellere volet, optimè auspicabitur à generali notitia omnium locorum, ac temporum. Ac propterea primum è generali aliqua totius orbis tabu-

D 4 lâ

lā addiscet præcipuas mundi partes , & quibus limitibus hæ distinguantur. Hinc seorsim generales, Europæ, Asiæ, Africæ, atque Americæ, tabulas contuebitur, ut inde cognoscat præcipuarum regionum situm. Adde his typum veteris imperii Romani. Ab hisce veniendum ad tabulas particulares regionum, de quibus præcipuae tractant historiæ: ut Palestinæ, & vicinarum regionum , ob historiam sacram. Item Italiæ, Græciæ, Galliæ, Germaniæ, Hispaniæ.

Vetus situs optimè eognosetur ex tabulis Ptolemaicis à Mercatore concinnatis. Utile etiam est ad manum semper esse Onomasticon , sive ut ipse inscripsit, Thesaurum Geographicum Ortelii, Breviter ex antiquis orbem descriptere Me- ja, Plinius, Solinus, Dionysius. E junio- ribus Glareanus & Cluverius.

Fuse , & graviter de omnibus olim Strabo, quatenus quidem orbis tunc co- gnitus erat : sed partim ut recens simul si- tūs addiscatur, partim quod superiori se- culo, novis terris inventis, Geographiæ,

ac-

accessit, operæ sit addere. *Geographica* Bertii, & Ortelii Thesaurum orbis terrarum; aut Atlantem Mercatoris.

Ubi quis ex sex, septem tabulis, & compendio aliquo Geographicō mediorū sibi notitiam paravit nobilium terrarum, & præcipuarum in iis urbium, pari ratione ex canone aliquo Chronologico addiscere opus erit generalem ævi omnis descriptionem. Ubi conducent duo canones illi Chronologici Ubonis Emmii, quos compendiosos, & succinatos appellat, ac pleniori, fusiorique suæ Chronologiæ præmisit.

Multum tamen lucis accesserit, si distinctè omnia tempora quatuor tabulis proponantur. Quarum *prima* continet res Hebræorum ab orbe condito, usque ad excidium Hierosolymitanum. *Altera* complectitur res Assyriorum, Medorum, Persarum, & Græcorum. Ex quibus Assyriæ, incipiunt à Nino; Medicæ, ab Arbace; Persicæ, à Cyro; & Græcæ, prout hic considerantur, ab Alexandro Magno; desinunt autem in Cleopatrâ ab

D 5 Au-

28 Gerardus Ioannes Vossius

Augusto devictâ. Tertia tabula continet res Romanas ab Romulo, usque ad divi-
sum imperium inter filios Theodosii; vel
usque ad Romam, ab Odoacro captam.
Quarta propônit Orientis, imperium, us-
que ad captam Constantinopolin : inde
imperium Occidentis , usque ad nostra
tempora. Pleniùs hæc repræsentabunt
Zonarae, & Eusebii chronicon, cum ap-
pendicibus Hieronymi, Prosperi, Mar-
cellini, & utriusque Palmerii. Item chro-
nologia Bucholceri; & Calvisii. Et chro-
nicon à tribus illis Carione, Melanchtho-
ne, & Peucero conscriptum. Sed in an-
norum ratione sequendi potius juniores,
præsertim in annis mundi.

Vidimus de generali notitiâ omnium
locorum, & temporum : deinde venien-
dum ad particularem : at prout historia
erit, ita ei præmitti debet notitia regio-
nis, de quâ historia ea tractat.

Non dubium autem , quin in historiâ
particulari incipiendum sit à sacrâ, sive
rebus Hebræorum , V. T. perscriptis:
& vitâ Christi , ac Apostolorum , de
qui-

quibus in N. T. Hæc summatim comprehendit Sulpitius Severus , ac penè historiam sacram perducit ad annum à Christo nato cccc. Cui addi non inutile est historiam ecclesiasticam Pappi , & historiolas, quas in Chronologia sua habet Abrahamus Bucholcerus. Hæc initii sufficient.

Postea verò utramque perficiunt hanc partem Josephus, Eusebius, Socrates, Theodoretus, Evagrius. Item Anastasius, Leutprandus, Abbo, & Platina de vita Pontificum. Sed fusissimè omnium Centuriatores Magdeburgenses, & Baronius, cuius gemina extat epitome. Judicio verò non exiguo opus in Centuritoribus. In Baronio etiam majori: quem interea negare non possumus, præclarè meritum esse de antiquitate Ecclesiasticâ.

Post cognitam Ecclesiæ historiam , quid turpius ignoremus, quam quæ vel nostris, vel parentum, aut avorum, vel proavorum temporibus , partim terris contigerunt nostris, partim vicinis? Hæc enim cum vulgo etiam cognita sint,

D 6 & in

& in conviviis, ac circulis narrari soleant, omnino turpiter se homo dederit literatus, si ista nesciat, quæ sunt quasi ante pedes. Batavo igitur necesse sit scire, quo paeto comitatus Hollandiæ ad Burgundos, inde ad Austriacos, atque Hispanos pervenerit. Item gesta Caroli V. initia tumultum Belgicorum. Bellum quod tot annis duravit, & quæ interea temporis memoratu digniora, in Germaniâ, Galliâ, Britanniâ, & vicinis terris.

Nec nosse ea magni erit laboris, qui à pueris etiam pleraque eorum à parentibus, & senibus audiimus. Operæ nihilominus fuerit legere etiam historicum unum, alterum, qui breviter ista sint complexi, uti à nonnullis chronologis factum. Postea autem haec fusius discere licetibit è Sleidano, Thuano, Cambdeno, Meterano, Borrio, aliis.

Postquam res maximè memorabiles temporum nostrorum, & seculi quod proximè antecessit, animo inscripserimus, accingemus nos ad gentium scriptores

ptores antiquos. Atque ex his primi legendi, qui res tractant Romanas : cuius rei ratio satis est aperta. Nam auspicari studia solemus à Cicerone, & aliis scriptoribus Latinis, qui absque mediocri intelligentiâ historiæ Romanæ intelligi minimè possunt : ut in quibus passim Romuli, Numæ, Tarquinii, Camilli, & aliorum ducum Romanorum mentio fiat.

Summatim autem res eas cognoscere licebit ex Floro, cum commentariis Stadii, Vellejo, Eutropio, Sex. Aurelio Viatore, Rufo, Pomponio Læto, & Baptista Egnatio de principibus Romanis. Conducet & Zonaras. Sed accuratius de istis quidem Livius, Sallustius, Cæsar, Suetonius, Tacitus, Spartanus cum annexis historiæ Augustæ scriptoribus ; item Ammianus, E Græcis Dionysius, Polybius, Plutarchus, Appianus, Herodianus, Dio, Xiphilinus, Procopius. Ex Junioribus plurimum juvabunt Annales Steph. Pighii.

A rebus Romanis veniendum ad res
ex-

externas, h. e. Assyrias, Medicas, Persicas, Græcas. De quibus summatim Justinus, Corn. Nepos, & nonnihil etiam Vellejus, atque Orosius, & ubi hi desinunt, Zonaras. Plenius autem de omnibus Herodotus, Thucydides, Xenophon, Polybius, Diodorus Siculus, Plutarchus, Arrianus: & è Latinis Curtius in Alexandri gestis.

Postremus locns est historiæ (ut cum Romanis loquar,) Barbaricæ, h. e. gentium earum: partem quæ obtinent veteris Imperii Romani, aut nunquam sub eorum fuerunt ditione.

Hic primo quisque ordietur ab antiquitatibus suæ gentis, ut Batavus à Batavis, de quibus Grotius, item Douza in annalibus: etiam Joannes de Leidis, & Becka: brevissimè autem Barlandus.

Inde ad gentes alias se conferet, aut eas primū, quibuscum nobis aut fœdus, aut bellum. Utile autem in quavis gente erit unum aliquem feligere, qui potissimas in ejus gentis historia obtinere videatur. Ut in Gothicis Jornandem, in Longobardicis

Pau-

Paulum Diaconum; in Slavicis Helmoldum; in Francicis Paulum Æmilium: in Hispanicis Marianam: in Scoticis Buchananum: in Flandricis Mejerum: in Burgundicis Heuterum: in Austriacis Lazium: in Saxonici Crantzium: in Danicis Saxonem Grammaticum: in Boicis Aventinum: in Hungaricis Bonfinium: in Polonicis Cromerum: atque ita in aliis.

GERARDUS JOANNES VOSSIUS

D E

*Studiis instituendis ad V. CL. Rochum
Honardum.*

IN rectâ docendi descendique viâ est quiddam, quod opera melius, quam verbis exprimatur. Sed sunt quædam tamen, quæ satis manifesta mihi videantur. Quale illud imprimis,

I. Sedulò adlaborandum esse omnibus iis, qui instruunt juventutem, ut epidemicō isti morbo obviam eant, quo sufficere juventus ea credit, si sex septem verba

34 *Gerardus Ioannes Vossius*

verba Latinè connectere sciat ; ad hæc Logices Studium , & fortasse unius etiam alteriusve disciplinæ dicis causâ degustet , mox verò cruda studia ad Theologiam , Jurisprudentiam , aut Medicinam propellat . Neque enim , non intellectis verbis , res intelligi possunt : & quæ circa res versantur disciplinæ , ita amicè omnes inter se conspirant , ut una alterius opem deposcat : saltem vel una aliqua si penitus insuper habeatur , manca ac mutila futura sit omnis doctrina . Quare Latinæ Græcæque literæ ante omnia , neque perfunctoriè , discidebent . Hinc appellendus animus ad Philologiam , variamque eruditionem , quam & Polymathiam vocant , hoc est ad historiam , orationem , & poëticen . Exinde etiam vacandum Philosophiæ , & quidem universæ . Omnia hæc , priusquam ad sublimiorem facultatem se applicet , mediocriter unusquisque scire debet : aliquorum verò etiam exquisitâ opus est cognitione : hujus quidem disciplinæ uni ; alterius alteri , pro cuiusque captu , atque

atque ingenio & studiorum scopo, quem quisque sequitur.

II. Cum verò tantopere jacere videamus literas Latinas, & Græcas, atque hoc malum quotidie gliscat; propterea quod sius illis honos minimè constet: nunc temporis vel maximè iis opus habent eruditi literaturæ utriusque, item oratoriæ, poësios, historiæque professores. Qui ut cum laude ac fructu hanc provinciam obeant, summâ openiti debent, ne in augustum illum locum, res adferant vulgares, ac cuivis obvias, vel etiam subtile magis, quam fructuosas. Multum etiam refert, ne animi quodam torpore res præclaræ somniculose tractentur. Dicendum aliquid supra captum vulgi: & cum genio dicendum. Nec enim juventus facilè capietur, necessarii adeo studii amore, sed quod videat ubique contemni, nisi egregii aliquid domum reportet, & præterea ex tractandi modo honestam capiat voluptatem, qua trahatur ad cætera persequenda.

III. Cumque latè adeò pateat disciplina-

plinarum orbis, privatim saltem enarrati debent, breviter ac perspicuè historia universalis, locorum situs, temporum ratio, instrumentaque ac partes universæ Philosophiæ. Ita futurum est, ut juven-
tus totum disciplinarum orbem, medio-
criter saltem intra breve tempus addi-
scat: eaque re longe parior, atq; etiam
alacrior fiat, ad aliquas disciplinas accu-
ratius perdiscendas, idque imprimis ex
diatribis, sive dissertationibus Academi-
cis, ubi illæ subtilius ac fusi tractantur,
sed non nisi longiusculo temporis spatio
absolvuntur.

IV. Nec satis est scriptores optimos,
& artium præcepta exponi: sed privatim
præterea requiruntur exercitia styli, La-
tinè, Græcè, prosa, carmine. Perutile
etiam est, nunc singulatim, nunc cum
pluribus conferre de iis, quæ vel ad hi-
storiam aut scientiam aliquam, vel etiam
ad universam studiorum rationem perti-
nent. Nam ita ferè usu venit, ut pleri-
que omnes eorum etiam qui labore mi-
nimè pepercerunt, nihilominus necessa-
ria

ria ignorant: partim quia non necessariis
descendis tempus insumpserunt, partim
quia confusaneam quandam, non expe-
ditissimam studiorum rationem sunt se-
cuti. Propterea publicus doctor occa-
sione commoda monere debet, quos scri-
ptores, seu styli, seu Historiæ, seu scien-
tiæ alicujus causa, legere potissimum
conveniat, & ad quæ attendere præcipue
oporteat. denique semper ea sermoni in-
sperget, quæ animum ad studia addant,
ac ne illud quidem improbandum vide-
tur, dummodo modestè, & citra cuius-
quam morosam insectationem fiat, si, ubi
res ita feret, obiter ostendat in quam fœ-
dos errores incidere soleant, qui studia
ista adsperrnantur. Multos etiam alios mo-
dos cuique prudentia suggeret, quibus
ad disciplinas hasce inflammari juventus
possit, dummodo ne quis suo magis otio
ac commodo studeat, quam Academiæ
honori, & bono juventutis.

GERAR-

GERARDUS JOANNES VOSSIUS

DE

Ratione , qua præiri ad Eloquen-
tiam , aliaque Studia debeat
Juventuti ,

Ad V. CL. Rochum Honardum,

Cum ratio haberi debeat , tum lin-
guæ utriusque , tum etiam orato-
riæ , poëticæ , ac historiæ univer-
sæ : ut de Philosophia civili nunc nihil
dicam : num ab uno homine tam multis ,
tam magnis , tam variis , consuli melius
possit , quæm si elegantissimas , facundissi-
mas , gravissimas , orationes enarret , quæ
leguntur apud Thucydidem , Livium ,
Curtium , Lucanum , alios . Nam & Latinæ
Græcæque linguæ proprietas ac venustas
poterit ostendi , tum in iis qui libera ,
tum qui ligata oratione usi sunt : &
orationis argumentum occasionem da-
bit tractandi præcipuas historias , tum
Romani , tum Græci imperii , & poterit ex-
curri in ea , quæ ad regionum situm , ad
temp-

temporum rationem pertinent. Et quod oratoriæ doctori maxime proprium est, ostendetur usus præceptorum, de hoc illove affectu ciendo, de oratione numerosa, de Triplici charactere, & similibus. Ad quæ omnia illud accedit, quod non videtur alia esse expeditior via, ad augendam prudentiam civilem. Nec enim orationes istæ sunt de rebus fictis, aut levis momenti, sed veris, & maximi ponderis, ac quæ facile ad nostra tempora possint applicari. Si tamen campus iste latè nimis patere videtur: poterit recidi de eo, quod ad Græcam pertinet linguam, item quod ad historiam spectat Augustam, & si quid amplius, vel ab alio melius præstari posse judicabitur, vel vires ejus excedere videbitur, qui unus tam multa sustineret.

F I N I S.

Para-

Parænesis missa Alberico de Vere, Comiti Oxoniensi, pueritiae tempus extremum principium habenti militarium rudimentorum in Belgii fæderati exercitu, cum unitarum etiamnum Provinciarum totiusque adeo exercitus communis felicitas esset, dux Fredericus Henricus Arausio-nensium Princeps, &c.

I.

DEUS opt. max. sapiens juxta ac largus promus, cuius beneficio familiæ illustres perennant atque inoffenso dignitatis gradu sæculis durant plurimis, ita confuevit virtutum semina, non nostro prolabio, sed arbitratu suo, animis humanis instillare, ut inter rariora divinæ gratiæ prvidentia eq; monumenta sit referendum, si quæ familia vividam generosarum mentium vim quam diutissimè conservarit, & virtutem generis in longam postero-rum seriem benigna manu transfudetit.

II. Ube-

II.

Überiores tamen Deo quotidiie gratias age, quod tibi contigerit benè educari, quam benè nasci: horum enim alterum, hominem duntaxat efficit; alterum, perficit.

III.

Sed quoniam amabilis gratiæ virtutis jucunditas, validiorem celsioremque faciens animum, ac solidum securumque præstans gaudium, proprium est hominis bonum, faciliusque per exempla insinuantur animis humanis, quam per præcepta, eligetibi magnum aliquem virum, ad cuius vitam, animum, orationem, vultum denique ipsum se mores tui exigant. Quanquam inter tot tantasque majorum imagines, non aliunde tibi sunt petendi, ad quorum virtutes animum ac mentem tuam ipsa hominum excellentium cogitatione conformes. Circumstant te magnæ undiquaque auctoritates, quæ te non sinunt oblivisci domesticæ laudis, quæ te dies noctesque commonefaciunt, quibus ima-

imaginibus onereris, quæ & quanta nomina sustineat. Cogita modò qui sis, quo in loco constitutus, quid dare patriæ, quid reddere majoribus debeas: memor interim, non quærenda esse nuda quorumvis majorum exempla, sed laudabile totius vitæ institutum maximè in iis expendendum, è quorum perenni contestataque virtute ipsa exempla sunt nata.

IV.

Quemadmodum in scenâ ridemus pueros coronatos, aliorum exuvias ornatos, & vicinorum agros prædiaque stolidè jactantes; ita non est tuum ~~aliquam~~ aliena incumbere famæ; sed potius connendum tibi puta, ut virtute propriâ dives ac majoribus non dissimilis habeare. Nam genus & proavos, & quæ non fecimus ipsi, Vix ea nostra voco.

V.

Tacito quasi Naturæ ipsius imperio juberis avitæ domus & ~~aliquam~~ generis lapsi

læpsi sarcire ruinas. Virgil. iv. Georg. Putta tibi semper ab omnibus ingeri , quod regina Latii lacrymans Turno inculcat in te omnis domus inclinata recumbit. Virg. xii. Aeneid.

VI.

Constanter itaque hoc age, ut rara atque in perpaucis occurrens mixtura vetustæ nobilitatis, spestatæ virtutis, eruditioisque haud vulgaris te pariter illustreret. quemadmodum enim est rara lux absque umbrâ, & ignis expers fumi ; ita quoque perpaucos passim invenias , qui claritati generis vel morum vitiis, vel inf scitia caliginem non offundant.

VII.

Ipsam potius masculæ virtutis vim , quam inanem ejus umbram conjectare, persuasissimum habens, nulla expeditiore & magis compendiariâ viâ ad virtutem posse perveniri , quam si talis etiam esse studeas, qualis videri cupis.

E Non

VIII.

Non aliter optimis disciplinis animus reficitur, quam corpus edulis: præterquam quod ex variâ tot disciplinarum amoenitate laboris patientia, ex labore doctrina, ex doctrinâ virtus, ex virtute gaudia nunquam peritura. Me tamen auctore primas dabis pietati, prudentiæ alteras, tertias eruditioni, viam ad priores duas munienti. nec satis habe plurima scire, imò nec graviter & copiosè de plerisque rebus dissertare, nisi promptum etiam ac volupe tibi sit optima facere. hac enim ratione paulatim comparabis tibi incredibilem apud omnes auctoritatem, grandem perennis intemerataeque virtutis fructum.

IX.

Qui quotidie de Deo cogitant, aut loquuntur, semper aliquid sibi suggesti sentiunt, quod captum humanum penitus excedat.

X. Ge-

X.

Generosæ atque igneæ mentes nūnquam non solent esse intentæ ad rerum magnarum occasions. quotiescumque igitur à studiis & laboriosæ virtutis rudimentis animum paulisper laxabis , non ignobili marcescat otio, non voluptatum colliquescat illecebris ; sed stude potius tantum interim ex ore ac vitâ celeberrimorum hominum proficere , quantum necesse habent scire magna olim gesturi. vitæque non scholæ vacaturi : nec ingenium tantum liberalibus scientiis exposuendum , sed judicium quoque ad delectum rerum, ad actiones moderandas, ad tractandos homines usu atque experientiâ firmandum esse judica.

XI.

Amicos cole, à quibus vel doctior, vel melior redeas, & in quibus cum pietate doctrinam, cum scientiâ conscientiam, cum disciplinâ denique rerum usum certare videbis. Præcipue tamen eniten-

E 2 dum

dum tibi puta, ut in hac tuâ ætate discas
artem illam singularem, ac totâ deinceps
vitâ utilissimam, quâ reconditi sapientiae
thesauri à viris præclaris, quasi carmine
quodam ac beneficio eliciuntur. Libera-
le nempe philtrum ac fascinum est hone-
statis plenum, accommodare se præstan-
tissimi cujusque moribus, hac enim sua-
vi modestaque comitate tanto te gratio-
rem optimis quibusque reddes, quanto
singuli eorum, quos coles, genium tuum
suo similiorem putabunt.

XII.

Æmulatione meliorum nihil est ad in-
crementa virtutis feracius: ita enim a-
more laudis accenditur animus, & u-
berrimam bonarum rerum frugem re-
portat.

XIII.

Ætas & sodalitium scopuli sunt peri-
culosi. præcipuâ tamen curâ fuge con-
sortia perditorum adolescentum; me-
mor bonos mores pravis commerciis
corrumpi.

XIV. Præ-

XIV.

Præstat in malis meticuloſum eſſe,
quām temerarium.

XV.

Impoſtrix alea habet ſuas illecebras,
quibus homines dementat. Sic, cum per-
diderit, non ceſſat perdere luſor. &c.

XVI.

Nunquam tibi cogitationibus iſtis
immorandum puta, quas viro alicui cor-
dato aperire non auderes.

XVII.

Qui ſe non timet, non raro ad ne-
fanda prolabitur. Te, ſine teſte, time.

XVIII.

Satius eſt aliquando tandem in ſe de-
ſcendere, quām nunquam: ingens bo-
num eſt ad ſuæ mentis notitiam perduci,

E 3 hoc

hoc enim caput est omnis prudentiae, in
hanc veluti summam tota humanæ sa-
cientiae vis contrahitur.

XIX.

Qui naturā bonus est, ac se aliquan-
tulum novit; quanto major est, tanto
se gerit summissius.

XX.

Qui naturā jactabundus est, nihil ha-
bet cum veritate commercii. dum sibi fa-
vet, se unum præter cæteros miratur, ni-
mio sui amore videtur insanire.

XXI.

Rarioris sermonis summa securitas
est. & locuturus cogita, quid, ubi,
quando, cur, & quibus loqui velis. Fre-
quens etiam aliorum observatio dabit,
ut hæc intelligas, eaque firmabit exer-
citatio.

Non

XXII.

Non minus sapiunt, qui sciunt opportu-
nè tacere, quàm qui opportunè lo-
quuntur. præcipue tamen visa & audita
retice, memor illius Terentiani, *Nescias*,
quod scis, si sapi.

XXIII.

Illiberale, imò contra naturam, &
plus quàm ferinum est, cum homo fal-
lit aut lædit hominem. Homo namque,
dum alterum cernit, in eo se ipse intue-
tur: nec est ullum speculum, quod tam
hominem exprimat, quàm homo. Quum
itaque nemo sit usqne adè perversus, ut
sibi met ipsi velit officere; mirum, quid
hominem moveat, ut alteri faciat inju-
riam. Ubi tunc est illa tantopere decan-
tata ratio? ubi est arctissimæ illius co-
gnationis cognitio?

Sed jam serpentum major concordia parcie
Cognatis maculis similis fera, quando leoni
Fortior eripuit vitam leo? quo nemore
unquam.

*Exspiravit aper majoris dentibus apri ?
Indica tigris agit rabida cum tigride pacem
Perpetuam. s̄evis inter se convenit ursis.
Ast homini ferrum lethale incude nefandā
Produxisse parum est, &c.*

XXIV.

A malâ consuetudine ita paularim
deficere debemus, ut eam sensim sine
sensu contraximus : & quo vitium ali-
quod altius subsedit, hoc est majori con-
tentione moliendum, ut exstirpetur.

XXV.

Frugalitati ac temperantiae stude ;
gnarus singulos quodammodo mortales
in se habere facultatem, abstinentiam &
sobrietate conservandi corporis robur ac
bonam valetudinem.

XXVI.

Nil pestilentius, quam si quis cum eru-
ditione vitae sanctimoniam non conjun-
xerit.

xerit. semper itaque inhæreat animo tuo Paulinum illud, *Hæc est voluntas Æt, sanctificatio vestra, ut abstineatis à fornicatione, ut sciat unusquisque vas suum possidere in sanctimoniam & honore. &c.* Pudicitia, ut rectè Cyprianus, est ornamentum nobilium, exaltatio humilium, nobilitas ignobilium, pulchritudo vilium, solamen mœrentium, augmentum omnis pulchritudinis, decus religionis, minoratio criminum, multiplicatio meritorum, creatoris omnium Dei amica.

XXVII.

Proritamentis verecundiæ quandoque occurrentibus, si non detur tempestivè claudere oculos, vel si non liceat vultum tenere aversum, mens tamen ita est obsfirmando, ut illecebree istæ animum labefactum de statu honestatis minimè dejiciant.

XXVIII.

Noli putare te aliquid posse sine ope divinâ. quapropter etiam rerum omnium, quas agis, quasque acturus es, primor-

32 Francis. Junii F. F. Paracelsis.

mordiā atque exitum Deo semper commendā. Quamobrem etiam ipse nunc unicūm omnis boni somitem ac fontem Deum precor, ne aulicā ac militari licentiā (quae alioqui ejusmodi in locis insidiari juventuti solet) corruptus à recto aberres; sed ut in ipso pietatis, virtutis, doctrinæ tyrocinio non modò sustineas, verūm etiam novā subinde industriā augeas tantam omnium de te exspectationem.

Vale, & dum alii in tantā caducarum fluxarumque rerum turbā diversorum aliquod mansuræ felicitatis architectari student, tu potius dignam animo tuo curam immortalitatis tota mente imbibe.

Hagæ Comitis. 1644. ipsis
Kalendis Julii.

Nobilissimo nomini vestro
addictissimus.


FRANCISCUS JUNIUS F.F.

Adversa magnam minister ferenda & secum,
discutenda 39.

adversariis non debet esse
difficile, quod non possit
adversariis non debet esse
difficile, quod non possit
adversariis non debet esse
difficile, quod non possit

adversariis non debet esse

adversariis non debet esse
difficile, quod non possit
adversariis non debet esse
difficile, quod non possit
adversariis non debet esse
difficile, quod non possit



Christianus vero scriptum probare vult
qz.

Cognitio fui mea p. i. defect, noct
p. i. s. q. vero in schiede p. 3. h. in tota hor
re, dicitur, scriptate q. vero in schiede p. 3.
sortea, in fortunis p. 8 = i. 8.

Crux castigato Dei paternus. i. 17. 15. d' am
exp' illia. 36. 36. emendam p' p' ta. 36.
in bonu' n' g' redit 36. 36.

Bei mērēn begeſtērungā hōtē p. & c. a
Finaliz. erachmū hōtēn. 8.

Dīgn hātēn an dēlōre Rīſe. Le. p. 12
Fint ap. o. n. p. 13.

Diveet disticendu p. id. iackij benefici
maximum p. iq. pauperes ne spernotis.

Doctoris h[ab]ili gaudiend q[ua]d monsu
pietatis u[er]itatis. q[uo]d. titulu absq[ue] metu p[ro]ceru p[re]ceptu
huius ex doctoris scie renos facere p[ro]l. c.
docti e scire q[uo]d u[er]itatis:

doctrina ex pietate instrumentu 25.

Examen affiduum p[ro]p[ri]e t[em]p[or]is
lib. in Not. regesta in tal. Examining year
Ediani. p. 4.

Felix nemo est in vita i.

Lives viva exanimar. qd.

Fortunati examen cogitationis p[ro]p[ri]e



Hominis contemplatio ad finem dicitur.
q. ex illeris hi p. Beobachtat. h.
creacionis p. 8. max 4. forma. s. ex officio
8. finalia & invenit. sim. lili. 20.
h. hoc sicut in multis summis officiis & lega
3. 40.

modestia peccat p. 2.

Impatiens 37.

Infortunati solamen 19.

Austitia quod violar. p. 33.

Magister in Tyberius et Iacobus Lubentius.

Moderste in Eruditio p. 32.

Moderste in Eruditio p. 38.

Patientia in fortunato ubili insuper
mentis virtutum pugnit. Omnes ex conforto ine
ruloy 37.

Augeratius comodap. 15. f.

Pretatem suadere argum p. c. E. g. Ali
instrumentu strana va. ro. refitato. om
pretatem colamq. dyp. sive h. e. f.

Potest possesse quo se gerat si

Principis quo organistis potest cantiger
sic.

*Ali
1. am
29.*
Professorum in Academia tria genera

Facientia diuinorum lingua 36.

Prudentia in regendis & coherendis
governis summae varie p. 32. f.

Scriptores qdcc ex librar p. 10 ~~14~~

Pies vita condimentum 30:

Temperans angestif examen quoniam
tit. 3r zu 37.

Titulo superbientes p. 28. l. m. l. c.

Verecundianus noet p.z.

Viresq; cognoscere dicit p.z.

AM

Virtus nobilitatis gen. g. 14. genit.
p. 10. in anima qd 32.

Vita privata coniugia p. 13. conditio
meritorij optima p. 6.


Voluptatem diuinendi auctio p. 9. 32

Eb 3 593


El 3593



VDM 00



B.I.G.



GERARDI JOANNIS VOSSIF
DE
COGNITIO-
NE SUI
LIBELLUS.

*Cum ejusdem Auctoris ad aliquot loca
illustriora necessariis notis.*

Accedunt & alia opuscula.
Heu quād difficile est se noscere ! *vādū
readū*
Quād properiē legimus , tam citō ne-
gligimus.

EDITIO ALTERA.

— (o) —
ARGENTORATI,
Apud JOH. REINH. DULSSECKERUM,
Anno 1709.